





2
6
75










XXIX
STIERN



JOH. O. STIERNHÖÖK

De

JURE SVEONUM ET GOTHORUM VETUSTO.

LIBRI DUO

Quorum Primus de Judicijs & eorum varietate, de Judicibus, de Processibus judiciarijs, Probationibus, Decisionibus, Executionibus, &c.

Posterior

De actionibus sive causis civilibus & Criminalibus, denique de jure Sacrorum, Religione, & quæ Religioni inserviunt legibus:





HOLMIÆ,

Excudebat Nicolaus Wankijf, Reg. Typogr.
Anno 1672.

II

Serenissimo Potentissimoq; Principi ac Domino,

CAROLO XI,

Svecorum, Gothorum, Vandalorumq; Regi, ac Principi hæreditario, Magno Principi Finlandiæ, Duci Scaniæ, Esthoniæ, Livoniæ, Careliæ, Bremæ, Verdæ Stetini, Pomeraniæ, Cassubæ & Vandaliæ, Principi Rugiæ, Domino Ingriæ & Wismariæ, nec non Comiti Palatino Rheni, Bavariæ Juliaci, Cliviæ & Montium Duci, &c. &c.

Serenissime & Potentissime Rex Domine Clementissime.

SUb ingressu Regiæ Tuæ Majestatis in Thronum suum, se sistunt Leges nostræ, non hæ quidem, quarum hodiè, nisi ex parte tantum, usus, sed leges tamen, per quas Diva illa *Themis*, quæ solio *Jovis* adstare dicitur, hic quondam munus suum expediebat.

Principis est virtus maxima nosse suos.

Suos autem optime noverit ex moribus antiquis, qui in leges transierunt, ex quarum cognitione non minus quam ex historia gentis, forte an certius, judicari potest, cum de præ-

senti

ſenti & priorum ſeculorum ſtatu, tum ſi quid in poſterum uſus facto fuerit, ubi conſtat, quo fine & eventu, quidque vel conſulto mutatum ſit, vel ierit in deſvetudinem omiſſum uſurpari. Crebras legum mutationes, prudentiores omnes & rerum publicarum periti improbant, quod inconſtantiā imperij arguere videantur, præcipue ſi fundamentales fuerint, quarum mutatio, mutationem ſtatus vel indicat vel inducit, quod ab initio, nonniſi â paucis animadvertitur, ſucceſſu vero temporis omnibus apparet, non ſine aliorum applauſu, aliorum vero indignatione, prout cuiq; è re ſua mutatum

tatum vel non mutatum fuiſſe videatur. Sed incidunt quandoque tempora, quibus leges mutari non expediat tantum, ſed & neceſſe ſit, quod ex parte in hiſce, quas jam exhibeo, apparebit, quas tamen vel ideo tanti non facio ut dignas exiſtimem, quæ tanto nomini inſcribantur, niſi & mos ſeculi & Regiæ Tuæ Majeſtatis humanitas eò invitaſſent. Memini, cum ante annos jam quinquaginta Regiæ Tuæ Majeſtatis avunculus magnus, Magnus ille GUSTAVS ADOLPHUS, patriam meam valles ingreſſus eſſet, accurriſſe undique plebem avidam videndi Regem ſuum, ac in vehiculum per gla-

ciem

IV

ciem transeuntis (hyems enim erat) conjeciſſe manipulos & globulos filorum, linteorum, etiam alia quædam vilia, quæ proprio labore & induſtria in uſus domeſticos paraviſſent, quæ Rex leniter arridens, hilari admiſit vultu, delectatus & ſimplicitate gentis, & ſtudio ejus quovis modo tamen declarandæ promptitudinis & obſequii. Inter iſtos qui Regiæ Tuæ Majeſtati, nunc imperij habenas capeſcenti, occurrant, ego quoque adſum cum munuſculis vilibus illis quidem, ſed â profeſſione mea non alienis, nec pretio ſuo, ſed animo meo æſtimandis, ut qui, hoc uno quo poſſum modo, devotio-

nem


nem meam conteſter, tum ut, ſi quam mereantur lucem, â ſplendore orientis hujus ſolis accipiant, ſi nomen Regium in frontiſpicio appareat, obſcura alioquin â ſe, & in tenebras ac oblivionem itura. Deum Ter Op. *M*ax. precor ut Regi & actionibus ejus benedicat, vitam cum ſalute populi ſui in multos annos producat, & gloriam nominis æternet.

Regiæ Tuæ Majeſtatis

Servus humilimus

Johan Stiernhöök.

Holmiæ d. 10. Decemb. 1672.



PRivilegio Sac.æ Reg.æ Maj.tis Sveciæ Regis ac Domini noſtri clementiſſimi, dato Holmiæ d. 28. Februarii Anni 1674. cautum eſt, ne poſthunc diem qvis hunc librum in Regno Sveciæ vel Provinciis ac locis ei ſubjectis, imprimat, aut alibi impreſſum circumferat ac vendat, palam vel clanculum ſine conſenſu ac volun-

luntate Authoris, intervallo ſex annorum, ſub pœnâ confiſcationis librorum, & mulctâ qvadraginta marcarum argenti ſelibrium.

BENE-

BENEVOLO LECTORI, S.

Annus jam alter & tricesimus est, ex quo, juxta *Assessoratum in Dicasterio Regio* Aboæ, *professio juris patrij mihi demandata fuit, juris, inqvam, hodie usitati, quod cum ex præscripto* Legum *Academiæ, cum jure civili Romano conferendum esset, secrevi omnia illa, qvæ aut jam dudum obsoluerunt, aut, qvamvis hodiè ex parte usitata, supervacua tamen videbantur, ut qvaliscunq; brevis & summaria saltem utriusq; juris præcederet cognitio, sine qva omnis collatio, apud imperitos ejus, frustranea foret & sine fructu. Ceterum, cum ad seposita illa oculos reflexissem, plura mihi visa sunt, qvam ab initio animadvertebam, qvibus reliquas leges adijcere placuit, qvas*

 ex

ex variis monumentis, instrumentis, histo-riarum fragmentis, cumprimis vero ex legi-bus provinciarum particularibus, colligere potui, qvarum summam brevi paraphrasi explicare visum est, & in hunc qvem vi-des, ordinem digerere, ut esset unum earum qvasi corpus, qvod nunc perficere & in lu-cem edere propositum non fuit, nisi Illustris-simi & Excellentissimi Domini, MAGNI GABRIELIS DE LA GARDIE, Comitis de Läckö/ &c. Cancellarii hujus Regni verè Magni, *authoritas impulisset, qvi, qvam curam habet Reipublicæ, etiam lite-rariæ, nihil eorum latere voluit, qvod qvo-qvo modo ad antiquitatum nostrarum & veteris status cognitionem pertineret. Itaq; siqvid hic inveneris, qvod aut ex sua vetu-state juvat & delectat, aut ex meo sensu fortasse displicet & offendit, est quod in al-*

tero

tero mihi gratuler & gratiam tuam, in altero vero veniam sperem. Debetur enim Ei sub cujus patrocinio spero me liberum, cui & ntire quæ velim, & quæ sentiam dicere liceat, sine præjudicio tamen cujusquam, sive status sive hominis, quibus mea opinio nihil vel dare vel derogare potest. Erunt procul dubio, qui hæc, ut vana, & nullius usus, arguãt, fortè etiam, per me licet, pro nugamentis habeant; mihi satis est, si aliqui sint, qui nonnihil juvari se arbitrabuntur in cognitione juris hodierni pleniore, quod ut plurimum antiquo illi innititur. In horum enim gratiam, & quidem solis popularibus, hoc scriptum esse facile apparet, quod ut non sit, nescio tamen, annon dedecus nostrum fuerit, cum circa leges & instituta aliarum gentium, satis superq; curiosi simus, in patria peregrinum esse.

LIBER PRIMUS

CAP. I.

De

SCandinaviæ Incolis. Juris eorum antiquitate & origine. De initio Juris Scripti Sveo-Gothici, ejus mutatione, varietate & incrementis: De Legibus Vigeri Spa, Lumberi, Sancti Erici, Uplandicis, Wesmannicis, Helsingicis, Dalicis, Sudermannicis. De Gothicis, West-Gothicis, Ost Gothicis, Scanicis &c. De Finnicis. De municipalibus sive Oppidanis. De Jure communi Christopheriano.

CAP. II.

De Judiciis. Eorum nomine & differentiis. De instantiarum numero, nominibus, & de Instantiarum singularum Ministris, Loco, Tempore, Causis.

CAP. III.

De Judicibus Juris, & Judicum in singulis instantiis electione & constitutione. De eorum officio judiciali & extrajudiciali.

CAP. IV.

De Deputatis sive judicibus facti, vulgo Nembda, de ejus origine, varietate, officio & distinctione â Iudicibus juris.

CAP.

VIII

CAP. V.

De Actoribus & Reis. De inquisitoribus publicis, Regio, Communitatis, Episcopali.

CAP. VI.

De citationibus & variis citandi modis. De contumacia & ejus pœna. De necessitate comparendi, exclusis procuratoribus & advocatis.

CAP. VII.

De majorum modis probandi res dubias, & in specie de duello, Eenwigh. Ejus origine & latitudine, quibus in causis usurpatum, quando & quare abrogatum.

CAP. VIII.

De vulgari probatione per Ordalium, sive contrectationem ferri igniti, Jernbyrd/ Ejus origine, latitudine, quibus in causis adhibita, quo loco, tempore, modo, quando deniq, & ex quibus causis abrogata.

CAP. IX.

De probatione Canonica per Juramenta seu Sacramenta & Sacramentales, Eedh eller Laghgangh. De ejus probationis origine, nomine, essentia, quo tempore, loco, & quibus in causis imperata. De Sacramentalium numero, Electione & conditione De Sacramentorum qualitate, distinctione & varietate. De ante-

Sacramentalibus, fidejussoribus & testibus. Quatenus hodiè hæc probatio ex parte retenta, ex parte remissa.

CAP. X.

De Executione sententiæ & ejus modo. De pœna veterum in genere. De *Namo sive repressalius, quarum rerum, quando & quibus in locis concessæ.*

CAP. XI.

De *mulcta sive pœna pecuniaria.* De *pecunia veterum, ejus nominibus, varietate, incremento & valore.* De *mensuris & ponderibus veterum, eorumq; ratione & diversitate.*

LIBRI SECUNDI
PARS PRIOR
DE
CIVILIBUS

CAP. I.

DE *conjugio. Ætate conjugali, tutoribus, nuptiis & ritibus nuptialibus.* De *dote* **vhrmynd** *&* **vhrgiáf.** De *donationibus propter nuptias.* De *conviviis nuptialibus, eorum apparatu & ceremoniis.* De *Sponsa ejúsq; comitatu. Con-*

vivarum

vivarum numero, securitate & privilegiis. De umbris & ludionibus. De formula elocandi, & nominibus uxoris. De lecto geniali, Dotalitio, Morgongåfwa/ Ejus ratione & quantitate. De Céremoniis circa expromissionem dotalitij, & mutatum vitæ statum.

CAP. II.

De Parentum cura & officio, & potestate in liberos. De emancipatione, arrogatione & adoptione. De necessitate & ratione investigandi patris. De annis pubertatis & tutelæ. De tutela & tutoribus. De legitimatione, ejus modo & jure.

CAP. III.

De Successionibus & legatis. De donationibus inter vivos, & Successoribus, in specie, Skaparf/ Skyldarf/ Baakarf och Nidtararf. De differentia juris Successorii, respectu gradus, sexus, inter jura provincialia De successione Fisci, Daanarf. Successione in arma, Wijgharf. Successione in certis casibus, Offinnisarf. De distributione rerum hæreditariarum & debitorum.

CAP. IV.

De
Dominis & Servis.

De Servorum origine, distinctione, nominibus & conditione, in maleficiis & extra. De Servitutis abolitione, quando, quomodo & quamdiu tentata, peracta & ad effectum perducta.

CAP. V.

De

Contractibus.

De *permutatione & emporiis.* De *emptione, venditione, rerum mobilium, per mediatores & testes,* **win och wittne.** I *pecoris, boum & equorum venditione, ad dies experientiæ,* **Frest-marck.** De *venditione immobilium ad firmatores,* **fasta.** De *firmatorum numero & varietate.* De *ritibus & ceremoniis circa alienationem fundi, per Scotationem, baculi contactum etc.* De *jure protimiseos sive retractus, quarum rerum, quibus, quomodo & quando datum.* De *pretio redemptionis.* De *oppignoratione fundorum & jure anticriseos.* De *fundorum locatione, conductione.* De *mutuo, commodato, deposito, etc.*

CAP. VI.

De

Eundorum ratione & differentiis.

De *agrorum divisione ratione quantitatis, in Nummularia, Trientaria, Oraria, Marcaria: ratione qualitatis, in publicos sive communes,* **Allmenningar/ Landz/ Häradtz / Byes.** De *eorum differentiis, & jure in proprios & privatos, Allodiales seu Feudales, Liberos* **Frälß /** *Emphyteuticos* **Sämiegodtz /** *Vectigales* **Skattegodtz /** *Fiscales* **Chronegodtz.** De *singulorum horum proprietate & super his, controversiis hodiernis.*

Cap. VII.

CAP. VII.

De fundorum cultu, ejusq; varietate. De villarum ædificiis & situ. De pontium & villarum refectione.

CAP. VIII.

De Venatione, Skiögningh. *De diversis venandi seu feras capiendi modis. De aucupio, piscatione, pastione, & cæteris quæ ad hanc rem pertinent.*

CAP. IX.

De jure suppetiarum in casibus paupertatis ex incendio, naufragio, morbo, &c. De hospitalitate, jure viatorum, & mendicorum.

PARS POSTERIOR

De

CRIMINALIBUS.

CAP. I.

DE processu in criminalibus, citatione, captura, proclamate; De salvo conductu, quibus, quandò & â quibus datus. De executione in contumaces, emensione, proscriptione, &c. De criminalium distinctione juxta veteres.

CAP. II.

CAP. II.

De fornicatione, stupro, adulterio, bigamiâ, raptu, vi, lenocinio, incestu, sodomia, &c. & singulorum eorum pœna.

CAP. VIII.

De violato juramento Regio, vulgo **Eedzöre.** *Ejus criminis ratione & pœna in genere, tum diversitate, ratione objecti, subjecti, causæ, loci, temporis, instrumenti, &c.*

CAP. IV.

De homicidiis & eorum pœna ordinaria. De homicidiorum varietate, â quo, in quem, quo loco, tempore, modo, instrumento, committatur, & pro eo pœnæ disparitate. De homicidiis casualibus. De mulcta homicidij â familia familiæ debita, **Oranboth/** *sive* **Ätteboth.** *De mulcta Dominis debita,* **Tuck** *sive* **Tuckaboth,** *&c. Mulcta relictis ægris,* **Torswegiåldh.**

CAP. V.

De

FURTIS.

De furti odio, raritate & pœna. De furum speciebus & proius diversitate pœnæ. De consulentibus, contrectantibus, receptantibus. De sacrilegis. De Abigeis, Segetum furibus. De furtis manifestis & non manifestis. De inquisitione furum.

CAP. VI.

CAP. VI.

De damno dato, ejus diverſitate ratione ſubjecti & objecti, â quibus & in quos detur. De ejus æſtimatione & pœna.

CAP. VII.

De injuriis verbalibus & realibus, earumq; diſtinctione, ratio- [illegible], inſtrumenti, loci, temporis, &c. earum pœna.

CAP. Ultimum.

De jure ſacrorum, ſive de iis quæ conſtituta fuerunt ſuper Eccleſiis & earum miniſtris.

Vis & efficacia Religionis. Religionis origo & finis. Religio ſub Ethniciſmo, Philoſophica & Pagana. Philoſophica Religio ejusq; ratio. Pagana religio apud quos & in quibus conſiſtebat. Dij noſtratium Thorus, Odenus, Frea ſive Frigga. Dij minores. Antiſtites & miniſtri ſacrorum. Cultus numinum in ſacrificiis, lucis, feſtis anniverſariis. Religio Chriſtiana, qualis ad nos venit. Ritus & ceremoniæ. Eccleſiarum Conſtitutio & templorum fundatio. Ornatus Eccleſiæ. Reditus Eccleſiæ, in decimis, in mulctis, in donationibus & legatis: Præfecti redituum. Ordines clericorum. Paſtor. Æditùus. Paſtoris conſtitutio & vocatio, & requiſita. Æditui vocatio, officium, Salarium. Officium Epiſcopi, reditus, dignitas. Officium Paſtoris, in quibus conſiſtebat. Salarium Paſtoris. Forum Eccleſiaſticum & ejus Nembda, Procurator & cauſæ. Concluſio.



LIBRI PRIMI

CAP. I.

De
LEGUM SVEO-GOTHICARUM ORIGINE ET INCREMENTO.

ARGUMENTUM

Scandinaviæ incolæ Aborigines. Eorum leges & vivendi instituta mutationibus obnoxia. Unde & quare Forma veteris status ignota. Primus legum nostrarum Author incertus. Non Zamolxis aut Dicenæus. Non Anacharsis. Leges Antiquissimæ cum Germanis communes. Origo & fundamentum scripti juris, a moribus, placitis populi & Regum: Mutuatis vicinis. Quales primum scriptæ. Quando scribi cæperint. Leges Vigeri Spa, Lumberi, Divi Erici, Caroli, Sverckeri, Canuti, Bergeri Jarli, Magni Ladulasij, &c. Leges Uplandicæ, Wesmannicæ, Helsingicæ, Dalicæ, Sudermannicæ. Leges West-Gothicæ, Ost-Gothicæ, Scanicæ, Finnicæ. Leges Oppidanæ seu municipales. Jus Commune Christophorianum.

Scandinaviæ incolæ.



Ractum illum Septentrionis, quem veteres Schantiam, Scandiam seu Scandinaviam appellaverunt, Indigenæ incolunt, quorum Majores diversis temporibus egressi, nobilissimis Europæ provincijs arma, leges,

1, 1, De Legum Sueo-Gothicarum origine & incremento.

XII

ges, nomen intulerunt. Gentes domi dominationis externæ & impatientes & expertes, ſedibus ſuis numquam pulſæ, etſi ſe invicem bellis laceſſerent, olim quatuor, quinq;, etiam pluribus, diutiſſime tribus, aliquandiu uni, hodie duobus Regibus ſubjectæ, Norvegia ſub Daniam in formam provinciæ redacta. Hæ, quod cœlo & ſolo conjungerentur, etiam per connubia & commercia mixtæ, iiſdem pæne legibus vixiſſe deprehenduntur, quæ autem illæ fuerint, quibus olim in unius imperij ſocietatem coaluerunt, in tanta tam vaſti temporis obſcuritate difficile eſt inveſtigare. Non enim hic, niſi conjecturis, locus eſt, literaturâ omni noſtratium nondum inventâ, cujus beneficio notitia tantæ rei ad poſteros pervenire potuiſſet, nec eſt quod ex hodiernis, aut legibus ante aliquot ſecula latis, de primis illis judicari debet. Habitus, cultus, mores, lingva, ſive â commercio aliarum gentium, aut immigratione, ſive â ſeipſis ſenſim mutantur, ut poſt aliquot ſeculorum decurſum non eadem rerum facies aut eadem vivendi inſtituta agnoſcantur, inde leges quoque ſeqvuntur non eæ tantum, quæ privatorum negotijs inſerviunt, & temporibus adaptantur, ſed & quæ

Leges eorum primævæ ignotæ.

 funda-

fundamentum status concernunt, ac, cum Respublica immortalis esse debeat, perpetuò constantes esse conveniebat. Nullius unquam tam fælix in condendis prudétia fuit, ut cavere posset quo minus quam homines, ex quorum arbitrio pendent, non essent vicissitudinibus & interitui obnoxiæ, quod cum primis hic observare licuit. Quamvis enim ab initio & Magogo usque (si sine verecundia eo usq; per tot nomina & per tot secula reducere liceat) imperium hic Regium fuerit, constat tamen, posterioribus seculis, ubi certior de eo notitia & fides, ut plurimum precarium fuisse, quandoq; & nullum, cum nunc sæpe primores & Nomarchæ, sæpe plebs ipsa sibi summam rerum arrogarent, ut tanquam ex ruderibus & reliquijs palatij alicujus, quod sæpe restauratum est, difficile sit imaginem veteris illius structuræ, quæ sibi semper par sit, efformare.

Legum vicissitudo.

Privatorum sive privatum jus quin variaverit, minor adhuc dubitatio est. Cum enim ante leges scriptas omnia aut ex æquo & bono, aut juxta consvetudines quæ alibi atque alibi variaverunt, deciderentur, constat non idem semper omnibus æqvum & bonum fuisse visum, nec eas-

dem

1, 1, De Legum Sueo-Gothicarum origine et incremento.

dem diuturnas fuiſſe conſvetudines, ut legibus propterea incertis, certus Author, quod proxime erat inquirendum, dari nequeat, niſi quoquo modo tradita ſine judicio transmittere velimus. Nam quod plerique noſtratium, qui aliquid de legibus noſtris ſcripſerunt, Philoſophos, Zamolxin & Dicenæum huc advocant, hiſtoriam gentis & ſeriem rerum non mihi ſatis, aut perſpexiſſe, aut curâſſe, videntur. Zamolxis Pythagoræ diſcipulus fuit, quem alij Regem, alij conſiliarium Gethis præficiunt, quibus quas leges ſcripſerit, incertum eſt, & incertius adhuc, an Gethæ ijdem fuerint cum Gothis noſtris hinc egreſſis. Gothi hoc nomine, quarto demum â Salvatoris nativitate ſeculo, orbi innotuerunt. Gethæ vero & Amazones etiam ante Alexandri Magni tempora, & bellum Trojanum, fuerunt. Sed fac eoſdem fuiſſe, & vel trecentis, ut quibusdam placet, vel pluſquam mille, ut Iohanni Magno viſum eſt, ante Chriſtum natum annis, hinc egreſſos, ad Tanaim fluvium, & Meotidem paludem conceſſiſſe, unde in Aſiam & Europam effuſi, quis credat tanto, & temporum, & locorum intervallo diſſitos, patriæ hujus amplius meminiſſe, ne dum ut per commercia, aut nos ab

illis

illis, aut illi â nobis leges haberent? Quas autem leges Gothi illi externi habuerint, antequam ſcriberentur, non conſtat, ſi vero eæ fuerint quæ poſtea in Hiſpania ſcriptæ ſunt, ſub Henrico Theodorici filio, imperante Leone, quinto circiter poſt nativitatem Salvatoris ſeculo, eæ propiores ſunt â vicinis Gallicanis & Romanis, quam noſtris, ut non obſcurum videatur, ab illis potius habuiſſe, quam Zamolxi aut Dicenæo, nos minimè ab illis. At ut de Dicenæo jam dicam, is quidem Zamolxi tempore poſterior fuit, ſed &, ſi demus Gothos circa Ducenteſimum â nato Chriſto annum, hinc egreſſos eſſe, ut pleriſq; placet, & credibiliùs certe videtur, nec ſic tamen Dicenæum contingent, qui tertio ante ſeculo vixit, cujus Bilagines vel Belagines propterea noſtras eſſe volunt, quod vel oppidanas ſignificent, **Bylagh**/ vel appendices ſeu additamenta ad leges, **Bijlagh** & **Bijafſkiedh**/ quaſi homo Græcus vel Boroiſta Svetice loqui & ſcribere didiciſſet, quingentis ante annis, quam Gothos noviſſet. Nam Gothi eo tempore, quo Iornandes hoc ſcripſit de Dicenæo (â quo hoc totum habent) leges *Vittodb* vocabant, non Romanâ voce Lex, **Lagh**/ quam uſus loquendi hodie noſtram

ſtram fecit. Hoc autem perinde eſt, ac cum Scythiam a Skytte derivari volunt, quod jaculandi peritia polleant. Romani & Græci ſcriptores divinare ſcilicet potuerunt, quid Sveones poſt mille años ſagittar um nominare vellent, ut exinde Scythiæ nomen inderent; Sed mitto iſta. Veriſimilius foret, ſi Philoſophum omnino præponi placeat, Anacharſin ex Scythia huc adducere, quod is & popularis noſter cenſeatur, & a quibusdam Germanis fundamenta juris Saxonici jeciſſe dicatur, quod cum oſtro jure in multis convenit. Sed hæc commenta ſunt quæ placuerunt, poſtquam litteræ placere cæpiſſent, ut nihil egregium aut laude dignum cenſerent, niſi a Philoſophis profectum eſſet; Hæc autem opinio a cæteris Germanis jam dudum exploſa eſt. Conſtat enim Scriptorem ejus primum fuiſſe quendam Epko Repkovium, qui nullibi Anacharſis mentionem facit, ſed conſvetudinum tantum gentis & conſtitutionum Carolinarum, ex quibus ſpeculum illud conſarcinavit, & cum illo tempore, quo hoc ſcriptum eſt, decimo tertio ſcilicet ſeculo, humaniora ſtudia & elegantior omnis literatura ſopita jaceret, ad nos certè nondum perveniſſet, ſatis liquet

quod EpkoRepcovius non magis Anacharsin noverit, quam noster Viger Spa & Lumberus, Zamolxin aut Dicæneum, cum hic Sveonica, ille Gothica jura primum compilarent. Interim tamen diffitendum non est, habuisse nos ab antiquissimis temporibus multas leges cum Germanis communes, longe ante confectionem Speculi Saxonici. Populus enim, procul dubio, unius originis, ut linguæ & morum fuimus. Harum quædam in viridi observantia fuerunt, ad tempora usque Magni Ladulåsij, quædam etiam hodiè & adhuc sunt. Jam dudum vero apud Germanos obsoluêre, postquam illi primum in consortium Romani Imperij, deinde longe post, etiam legum Romanarum, venerunt, de quibus suo loco infra memorabitur. Nam quod leges illas attinet Germanorum, quæ decimo tertio seculo primum literis commissæ sunt, nostræ quædam illis coëtaneæ, quædam multo antiquiores sunt. Habuimus enim scriptas leges Duodecimo, Undecimo, vel etiã decimo seculo, ut evidenter monstrari potest.

Origo legum nostrarum.

Ut itaq; hunc locum de Authoribus legum nostrarum concludam, Pauca sunt Regna & Resp. quæ, ut Spartani Lycurgo, Athenienses Soloni, Creten-

Cretenses Minői, leges suas certo alicui Anthori debent, plures obscura origine cœperunt. Recepta enim alqua consvetudo, arbitrium Regis aut placita populi, in leges transierunt, quæ, stabilita imperij vi, postmodum incrementa acceperunt non uni imputanda: Quomodo etiam nostras cœpisse verisimile est, ut necesse non sit, tanto circuitu per Asiam, Græciam aut Hispaniam, incunabula juris nostri quærere. Mos enim & consvetudo, tacito populi consensu introducta, diu pro lege fuit, &, ut Tacitus verè ait: *Hic boni mores plus valuerunt, quam alibi bonæ Leges.* Hi mores, ut pro lege fuerun ante jus scriptum, ita & prima materia scribendo juri, quorum originem in tanta multitudine seculorum, & barbarie, investigare perquam est difficile. Huc accesserunt, ut ante dictum, placita populi & edicta Regum, quæ consvetudine terminari non poterant in causis novis & dubijs. Vox enim Regis sæpe pro lege: validum etiam, quidquid populo placuisset, etiam Rege interdum non consentiente, & juxta hæc, non pauca tamen videntur a vicinis mutuasse, & ad usus suos accommodasse, id quod non obscure innuit Rex Bergerus Magni filius, in præfatione ad leges Uplandicas.

Origo scripti juris.

Cum autem leges primum scribe entur, rudes & simplices valdè fuerunt, qualia en m Romanus

Jura dabat populo, posito modo Prætor aratro:

Et quales nostras se vidisse *Olaus Petri* testatur.

Quando jus scriptum.

Quando autem scribi cœperint, nec dum satis certum, quibusdam sub Ingone Secundo, alijs sub Ingieldo factum asseverantibus. Credo vel eundem fuisse, errore ex similitudine nominis, vel etjam sub utroque fieri potuisse, sub altero scilicet inchoatas, sub altero qualitercunq; perfectas, cum nonnisi septendecim annorū intervallo a se invicem imperarent. Certior tamen pro Ingeldo sive Ingevaldo (utrumq; dicitur) fides, non tantum Testimonio Regis Bergeri, sed & quia pleriq; manuscripti legum codices præferunt, eas Bircæ editas, quæ sub Ingieldo sedes Regum & in flore fuit. Usus autem fuit Ingieldus opera Iudicis provincialis, Vigeri Spa, judicis Uplandiæ tunc temporis celeberrimi, a quo deinceps leges, magis quam a Rege ipso, nomen acceperunt, ut Vigers Flocka/ Vigeri Capitula dicerentur. Usus harum fuit per annos circiter quadringentos. Paulò enim post tempora Caroli Magni scripta sunt, gente nostra nondum ad fidem Christi conversa. Postquam vero

Capitula Vigeri Spa.

Lux

1, 1, De Legum Sueo-Gothicarum origine & incremento.

Lux Evangelij affulſit, Caſtigatæ ſunt a Regibus Chriſtianis, in ijs quæ idololatriam ſaperent,& ad rudes feræ gentis mores compeſcendos pertinerent, quo nomine celebres ſunt Leges D. Erici, Caroli, Canuti, Bergeri Iarli, Magni Ladulaſij, quibus incrementa Iuris ſui Sveones debent uſq; ad Bergerum Magni filium, ſub quo prima reviſio facta fuit, Anno 1295. Leges S. Erici & Succeſſorum.

Paulo ante Gothi noſtri quoq; Leges & conſvetudines ſuas in ordinem redigere cœperunt, opera judicis ſui provincialis Lumberi, a quo nomen etiam acceperunt. Apparet id factum, cum proprios haberent Reges, ex paſſione, quæ in ijſdem proditur erga Svecos & Danos, vicinos utrinque. Iuxta hoc notandum, quamlibet provinciam ſuas ſibi leges & peculiares Legum codices habuiſſe, quæ licet in plerisque cum cæteris convenirent, in multis tamen abierunt, quæ retinere, juxta libertatem viſum fuit, requiſita in id Regis confirmatione, in quibuſdam etiam pro ſupervacuâ, ſpretâ & neglectâ, ſive id non indignè ferrent Reges, ignorantia juris ſui, aut electione obnoxij, ſive is rerum ſtatus fuit, cum eſſet quælibet provincia juris ſui, magis ſocietatis & confœderatio-

Leges Lumberi.

Leges Provinciales.

nis, quam meræ ſubjectionis vinculo Regibus ſubjecta. Svetæ olim cum Regulis ſuis liberrime vivere, quorum potentia in legiferos deſijt, id quod & modus ſuffragandi & electi Regis confirmatio non obſcurè oſtendunt, quia poſt inaugurationem & juramentum omnibus præſtitum, circumductus per provincias nihilo minus ſingulis cavere neceſſe habuit, non minus de legibus eorum confirmandis, quam ne novas ferret.

Leges Uplandicæ ſive Upſalenſe

Nihil mirum ergo, ſi ſibi ſingulæ ſuas haberent leges, inter quas dignitate provinciæ, antiquitate & authoritate, primæ ſunt Uplandicæ, de quibus Scriptor Norvegicus ante annos plus minus 250. *Judex Upſalienſis*, inquit, *reliquis omnibus antiſtat, ubi inter reliquos de jure non convenit, ex judicis illius arbitrio, vel juxta Upſalenſe, decidendum eſt.* Scriptor eorum primus fuit is, quem modo nominavimus *Viger Spa*: alter ab illo *Bergerus*, pater divæ *Birgittæ*, ex quo illuſtris Comitum *Brahæorum* familia originem ducit: Uterque judex provincialis, ſeu, uti jura vetuſta illos vocant, Legiferi ſive Nomarchæ, quales & revera fuerunt, proximo â Rege gradu & dignatione. Leges autem, quales â *Vigero Spa* conſcriptæ ſunt

&

1, 1, De Legum Sueo Gothicarum origine et incremento.

& ſparſim editæ, vetuſtas & bis ſuperſeqvuta reformatio abſtulit, nec dubium tamen eſt, quin multa ex ijs in hodiernis legibus retineantur. Rex enim *Bergerus* non illas omnes ſuſtulit, ſed oneroſas tantum; & obſcuras explicavit, ut ille fatetur. Addidit deinde illas quæ â *Divo Erico* latæ ſunt, quæ & ipſæ, quales ab illo editæ ſunt, perierunt, aut certè ad notitiam noſtri ſæculi non pervenerunt, etſi non deſint qui alibi eas ſe vidiſſe affirmant. Perinde filij ejus, Regis *Canuti*, *Bergeri Jarli*, *Magni Ladulaſij*, quales ab illis prodierunt, non amplius exſtant: Ex his tamen omnibus Ius Uplandicum compoſitum eſt. Quorum autem quæq; Leges fuerint, ut obiter obſervare & colligere potui, ſuo loco memorabuntur.

His proximè, vicinitate loci, & ætate, pares ſunt Weſmannicæ, & niſi *Bergeri* & *Magni* Regum in iis facta fuiſſet mentio, dixerim ſuperiores, quia crebra ſervorum jura, quia pretia etiam eorum minora, quam de jure Uplandico, pœna quoque violatæ pacis publicæ diverſa ab ea, quæ â Rege *Magno* ſtatuta, ad hæc uſque tempora permanſit, & alia nonnulla, quamvis non multa. In reliquis conveniunt cum Uplandicis. Scriptor eorum videtur Epiſcopus aut Canonicus fuiſſe. Leges Weſmannicæ.

Leges Helſingicæ.

Leges Helſingicæ & numero pauciores & tempore poſteriores ſunt, quarum uſus tamen latè patuit per omnem illum Borealem tractum, Bothniam, Angermanniam, Medelpadiam, Helſingiam, Geſtriciam. Editæ ſunt ſub Rege *Magno Smekio*, ut colligitur ex ejuſdem juris Cap. 16. Erfda B. Scriptor eorum pleraque mutuatus â Legibus Uplandicis, paucis admodum in locis ab ijs divertit, ſecutus conſvetudinem gentis, & genium loci, patriæ non immemor libertatis.

Leges Dalicæ ſeu vallium.

Hiſce Dalicas patriæ meæ Leges, paucis adhuc notas, & quas me primum produxiſſe in publicum, jure gloriari videor, neſcio præponam aut poſtponã. Argumenta enim non deſunt, quibus & anteriores & poſteriores ijs videri poſſunt; coëtaneæ certe fuerunt, & Helſingicis paulo breviores, ſed quæ tamen maximè neceſſaria, præ alijs, lucidè & clarè exponunt. Nonnulla habent cum Gothicis communia, pleraque cum Sveticis, in quibusdam tamen & â Gothicis & â Sveticis divertunt. Earum uſus fuit per omnem illum tractum Borealem & occidentalem verſus Norvegiam, quæ ſub vallium nomine indigitatur, & Vermelandiam quoq; includere videtur, uſque ad mare,

41, De Legum SueoGothicarum origine et incremento.

mare, præsertim cum Angli & Dani, & navium etiam, fiat mentio, quod in nullis nostris, præterquam WestGothicis fit, olim enim commercia ibi tunc maximè habuisse videntur, cum & religio & pecunia in istas oras ex Anglia primum transfretaret. Scriptor Canonicus procul dubio fuit, qui nimium Episcopis favet, ut parem eis ferè mulctam vel pœnam pecuniariam cum Regibus tribuat.

Sudermannicæ Leges.

Eodem Rege & eodem ferè tempore, vel paulò post, editæ sunt Leges Sudermannicæ, quas præfatione sua munivit, jam adultior, nec Sveciæ tantum ac Gothiæ, sed & jure hæreditario Norvegiæ Rex factus, *Magnus Smeek*. In paucis abeunt ab Uplandicis, quæ suo loco, data occasione, memorabuntur. Maxima enim est juris convenientia inter has provincias, quæ Cissylvanæ dicuntur, & Regnum Sveciæ, propriè ita dictum, constituunt, â Gothicis seu Trans-Sylvanis, ut locorum intercapedine, ita & rerum majori discrepantia, sejunctæ.

Leges West-Gothicæ.

Leges West-Gothicæ antiquissimæ sunt inter reliquas omnes, ut quæ Lumberum, Authorem Ethnicum agnoscant, a quo series judicum pro-

vincialium longo ordine deducitur ad annum 1285. Quia verò in ijs extant etiam Bergeri Iarli & Magni Ladulasij constitutiones de tabernarijs, apparet illas compilatas esse ex statutis diverso tempore latis, aliquibus etiam antiquatis, nec ita castigatas ac emendatas, ut de illis dici possit, quod Rex Bergerus de Uplandicis: **Hwadh wij hittom allom mannom tarfligit / thet sättiom wij i Book thesso. Thet otarff är / och tungi är ath / thet wiliom wij vthanlyckia.** Leges enim popularium, ualescunque & quotcunq; Scriptor invenit ante se, etiam post se reliquit, nulla interveniente Regum censura & confirmatione.

Leges Ost-Gothicæ.

Ost-Gothicæ accuratiores videntur. Titulus earum præfert conditores & Revisores, Regem Carolum Sverkeri filium, & Canutum, Divi Erici, & Bergerum Iarlum. Annos etiam notat quibus castigarunt, videlicet 1168, 1251, & 1260. priore conscriptæ, duobus posterioribus revisæ & auctæ videntur, etsi, quales nunc prodierunt, ex parte se debeant Magno Ladulasio, id enim non obscurè liquet ex Cap. 35. i **Widerboa B.** Ubi Regis *Magni* fit mentio, qui alius non potest esse, quam is quem dixi.

Gothi-

1,1, De Legum SueoGothicarum origine & incremento.

Gothicis Leges Scanicas ævo pares non immeritò annumerem. Ut enim hodiè, ita & olim Scania pars Regni Gothici fuit, atque haud ſcio, an non inde Reges Daniæ ſe Reges Gothorum ſcripſerint. Imputantur eæ Regi Daniæ Waldemaro primo. Transtulit eas in Latinum ſermonem annis ab hinc. Andreas Sunonis, ArchiEpiſcopus Lundenſis, Primas Sveciæ, non ut noſter Ragualdus Leges Chriſtophori, verbum de verbo, ſed brevi & eleganti Periphraſi ſummam unius cujuſque capitis complexus. Leges Scanicæ.

Smolandi & Oelandi an leges etiam peculiares habuerint, mihi nondum cognitum aut ſatis exploratum. Credo nullas; Cum jus Oſt-Gothicum dilucidè Smolandiam ſub jurisdictione ſua comprehendat & includat, Cap. 3. i Råſſt B. Idem dixiſſe liceat de Finnicis. Satis conſtat ſcriptas Finnos non habuiſſe, ante illas univerſales, quas edidit Rex Chriſtophorus. Magnus Smeek in id quidem laboravit, ut haberent, ſed præventus alijs curis, non perfecit. Sanxit tamen conſtitutiones aliquas de piſcationibus publicis, quibus etiam hodiè utuntur, qui mare accolunt & Halecum capturæ invigilant. Item de reditibus Eccleſiaſti- Smolandicæ & Oelandicæ Leges. Leges Finnicæ.

cis, ſed locales tantum, quæ mutato Eccleſiarum ſtatu ceſſarunt, alijs ſubſtitutis. Quo autem jure uſi ſunt Finni ante annos ſexcentos quam Chriſti fidem ſuſciperent, ignotum eſt. Mihi perſvaſum nullo ſcripto, nec fortè eguiſſe, quemadmodum nec hodie Lappones, quæ gens eadem videtur fuiſſe cum illis, id quod lingua, mores, habitus, cultus, &c. manifeſtè teſtantur, nec ulla olim Lapponum mentio, ſed quod Tacitus de Finnis, rectius hodie Lapponibus adſcripſeris. *Finnis*, inquit, *mira feritas, fœda paupertas, non arma, non equi, non penates. Victui herba, veſtitui pelles, cubili humus, ſola in ſagittis ſpes, idemq́ venatus viros pariter ac fœminas alit; Nec aliud infantibus, ferarum imbriumq́ ſuffugium, quam ut in aliquo ramorum nexu contegantur. Huc redeunt juvenes, hoc ſenum receptaculum; id beatius arbitrantur, quam ingemere agris, illaborare domibus, ſuas alienasq́ fortunas, ſpe metuq́ verſare. Securi adverſus homines, ſecuri adverſus Deos, rem difficilimam aſſeqvuti ſunt, ut illis ne voto quidem opus ſit.* Non dubium eſt quin Tacitus ex aliorum informatione aliquid ſupra rem, ut fieri ſolet, ſcripſerit, ſed tamen Lappones ut plurimum hodie tales ſunt, tales & ex parte Finni, qui ad interiora & Septentrion m habitant:

1, 1, De Legum Sueo Gothicarum origine et incremento.

tant; Nam reliqui victi cum religione etiam cultum accepere, & ad meliora traducti per connubia & commercia, mores paulatim mutavere, quo etiam fecere Coloniæ, eo ductæ, ut in tractu illo versus septentrionem, ubi tempore Regis Magni Smekij, duæ tantum essent parœciæ, cultus terræ exiguus aut nullus; jam præter duo oppida, decem parœciæ numerentur. In desertis ergò olim agentes, non alio, quam hodiè Lappones, jure usi videntur, exceptis ijs qui mare accoluere, de quibus satis constat quod Regulos suos habuerint, quorum nonnullorum in historiis fit mentio. Post religionem verò & imperium acceptum, datus illis Iudex provincialis, Legumvir vel Nomarcha Orientis, dictus **Laghman i Österland** (ita enim se vocat in instrumentis vetustissimis) qui ex æquo & bono illis jus dixisse videtur, & crimina castigâsse pro arbitrio, donec crebescente cultu, & auctâ habendi cupidine, leges Regis Christophori sibi describendas & observandas sumerent. Nec ullæ aliæ, in quantum hactenus notum est, in lingua illa extant.

Ultimo loco etiam addendum est aliquid de jure, cujus in urbibus & oppidis usus, quod an **Leges Oppidanæ.**

inter antiqua referendum ſit, dubitare video multos; ſanè quales hodiè prodierunt, editæ ſunt, ut apparet, poſt editionem juris illius univerſalis a Chriſtophoro factam, fortaſſis ab eodem aut etjam ſucceſſore Carolo Knutſonio, certè poſt Albertum, id quod ex ipſis legibus ſatis evidentèr demonſtrari poteſt. Exiſtimant multi, ante harum editionem non habuiſſe oppida peculiare jus, diverſum ab univerſali illo, quo provinciæ in toto regno, uſæ ſunt, ex eo quod jus provinciale nullibi deferat juri municipali: Ius verò municipale ſeu oppidanum, ſæpè ad præſcriptum juris univerſalis cauſas exigit. Sed non eſt veriſimile, cum provinciæ omnes ſuas ſibi proprias haberent leges, id urbes & oppida neglexiſſe, quibus diverſa a ruricolis & acquirendi & vivendi ratio. Ignominioſa lapidum illa civitatis geſtatio in confuſionem flagitioſi concubitus totiès celebrata, quæ etiam hodiè extat, una eſt ex antiquiſſimis, non ruri, ſed in oppidis uſurpata, & Wiburgum Careliæ urbs, oſtentat privilegia ſibi a Divo Erico data, qui cum annis plus minus centum ante Bergerum Iarlum & Holmiam conditam vixiſſet, permiſiſſet verò vivere legibus, qui-

bus

1, 1, De Legum SueoGothicarum origine e incremento.

bus Civitas Upſalenſis fruebatur, ſatis conſtat alias fuiſſe quam provinciales. Quarè, cùm ſcripti Codices incunabula juris provincialis referant ad annum à *Chriſto* nato 832: Iuris vero municipalis ad annum 1251; probabile eſt hoc anno potiſſimum hujus juris habitam fuiſſe rationem, cùm, Holmiâ conditâ, Bergerus Iarl animum quoq; verteret ad leges, quibus urbium & oppidorum ſtatus componeretur ad exemplum urbium Anſeaticarum, quæ ad maris Baltici littora, eô potiſſimum ſeculô & proximô conditæ erant, à quibus & nonnulla mutuatus eſt. Verumtamen quascunq; ille tulit, certum eſt pro tempore Holmenſibus tantùm tuliſſe, quæ ſubſequutis temporibus ſubindè reviſæ & auctæ, oſtendunt tamen omnia ad illius urbis ſtatum eſſe directa & accommodata. Nam ceteræ civitates & oppida, perinde ut provinciæ ſuæ, ſibi proprias habebant leges, ſtatuta & privilegia, quibus regebantur, ex quibus alij fortaſſe alias, ipſe Sudercopenſes vidi. Id teſtatur quoq; mentio ſuprà facta Upſalenſium in privilegijs Divi Erici Wiburgo datis, quæ ſuſpecta videri poſſent, niſi *Guſtavo Primo* & *Carolo Nono* pro authenticis agnita & confirmata eſſent. Undè colligimus Divum illum ulterio-

res

res fecisse progressus, & ad Borealem ac Australem Finniam, Careliam quoq; adjecisse, fortassis postea amissam, sed tamen, ut non ejus primum captæ gloria Bergeri Iarli nepoti, Magni filio, & ejus Tutori Torchillo Knutsonio, debeatur, quod historicis nostris aut non visum, aut non creditum. Sed hæc de legibus nostris scriptis, earumq; varietate, de quibus dici potest, illud *Ovidij*:

Lib. 2. Metamorph.

Facies non omnibus una
Nec diversa tamen, qualem decet esse Sororum.

Ex quibus Gothicæ maximè inter se conveniunt, proximè verò accedunt ad jus civile Romanum, in materia præsertim patriæ potestatis, dotium, servitutum, successionum, &c. quæ suô locô memorabuntur: Nec ullæ nostratium sunt, quibuscum jus nostrum commune magis, aut dissentit in civilibus, aut convenit in criminalibus, ut satis appareat, quoad hæc, à Gothicis, quoad illa, a Sveticis transsumptas esse.

Jus commune Christophorianum.

Ac ut jam ultimo loco de jure hoc nostro communi, quo hodiè utimur, dicam, omnes Regi Christophoro deberi credunt, quod is præfatione sua exornavit & edidit, sed certum est ejus compo-

1,1, De Legum Sueo Gothicarum origine e incremento.

compositionem longè ante Regem Christophorum extitisse, id quod ejus codicis exemplaria nonnulla ostendunt, annis plus minus quadraginta antè, manu scripta, quæ ab hoc codice quô hodie utimur, in paucis admodum divertunt, ut ea errore scribæ facilè quis credat intervenisse, adeò eadem ferè omnia sunt, quæ Regi Christophoro aut potius Archiepiscopo Nicolao Ragvaldi imputantur. Fuit hoc procul dubio legisterium illud, cujus bis in Præfatione sua meminit Rex Christophorus, quod Regi Magno Smekio debemus, qui nescio quo suo fato, tam ignominioso cognomine apud posteros infamiam meruerit, ob redditam Regi Daniæ Waldemaro Scaniam, quasi eam sponte, contracta cum illo affinitate, sibi eblandiri passus fuisset. Satis liquet injuriis suorum provocatum, necessitate quadam eò devenisse, cum alia ratio suppetere non videretur expediendæ salutis & se in jure suo tuendi. Si, quam capita accusationis adversus illum, tam defensionis instrumenta pro illo, historicis nostris prodita fuissent, æqviores fortasse essemus. Sanè post assumptum Albertum, errorem aut culpam agnovimus, sed serò, postquam pœnitentiæ & restitutioni in

integrum locus non esset, nisi per arma, quæ etiam, sed frustra, tentata fuerunt. Is, inquam, Rex Magnus, Erici filius, magnum imperij sui, armorum, commerciorum, cumprimis vero legum curam habuisse videtur, id quod leges quædam provinciales, inter alias ejus constitutiones, sub ipso editæ testantur. Anno 1347 Comitia Orebrogiæ habuit, ubi juris hic codex compositus, opera Nomarcharum quorundam, Vlphonis Amberni & Algothi Benedicti, quos Rex Magnus ille ad corrigendum, & ad bonam concordiam & convenientiam leges singulorum Legiferatuum Regni Sveciæ redigendum, præfecerat, ut verba habent quorundam Canonicorum, qui in comitiis istis fuerunt, & contra reformationem hanc protestati sunt, quod nimis, ut apparet, clericis favisse videretur, qui authoritatem suam & libertatem jure Canonicô niti volebant, adversus quod nihil se admissuros in protestatione sua adseverabant. Rex ergo Magnus Smeek eô tempore hoc egisse videtur, ut universale quoddam jus Regnum haberet, sed non obtinuit, quò minus, ut antè, singulæ provinciæ suo sibi arbitrio & jure peculiari viverent. Post eum sub-

sequuti

1, 1, De Legum Sueo Gothicarum origine et incremento.

ſeqvuti Reges, transverſis aliò curis, nihil egiſſe videntur ad reformationem juris alicujus, paulatim tamen ſingulæ provinciæ ſub certis reſervatis ſe juri iſti univerſali ſubjecerunt, donec tandem Rex Chriſtophorus, operâ Archiepiſcopi Nicolai Ragvaldi, legiſterium illud recognoſceret, & in paucis admodum locis emendatum, publicaret, & authenticum, poſt centum circiter annos, faceret, Annô ſcilicet 1442; quô hactenus etiam uſi ſumus, quod tamen, eôdem quô Anteceſſorum leges, fatô, mutatô rerum & temporum ſtatu, plusquam dimidiâ ſui parte obſolevit, quãquam nec antea peræq; ubiq; obſervatum eſſe, ſatis ſit manifeſtum.

Ius enim Uplandicum in multis, præcipuè verò in cauſis ſucceſſionum, etiam poſt Chriſtophorianum, ſeqvuti ſumus, ut prædicata oſtendunt ſuperioris ſeculi, quod Rex Iohannes Tertius, ut æquiſſimum, etiam confirmaſſe videtur, ſed poſt recenſionem juris Chriſtophoriani à Rege Carolo Nono factam, & ab ejus confirmatione, receptum eſt iterum, & juxta illud in cauſis ſucceſſionum judicatur, Quia itaq; Ius hoc, ut dictum eſt, in multis obſolevit, in nonnullis

variavit, ideò ab Ordinibus Regni in Comitiis Holmiæ, Anno 1600. de eo revidendo prima cogitatio suscepta fuit, quæ revisio, quarto post anno, ab iisdem Norcopiæ iterum decreta, & sæpius deinde hisce temporibus tentata, nec dum quidem in hodiernum usq; diem ad effectum perducta est, neq; posteà, nonnullis fortassè de causis, visum expedire.

CAPUT II.

De *Judiciis & eorum differentiis.*

ARGUMENTUM.

Judicij nomina & unde. Judicia vetustissima & qvalia. Litigantium juramentum. Instantiarum numerus. Instantia prima Fierdungz/ Tridiungz Ting/ *ejus causæ, locus, tempus. Instantia secunda* Häradz Tingh/ *ejus locus, tempus, causæ. Instantia suprema Regis duplex,* Råfzting *sive* Landzting / *ejus Assessores, locus, tempus, causæ;* Råttare-Ting/ *ejus Assessores, locus, tempus, causæ.*

Judicij nomina & unde

Hwarff.

Judicia majoribus nostris antiquitus Hwarph/ sive potius, meo judicio, Hwarf dicta fuerunt, Adamo Bremense teste, quæ vox hodie circuitum, revolutionem sive vicissi-

1,2, De Judicijs et eorum differentiis.

vicissitudinem significat, ex qua olim, manente procul dubio eâdem significatione, non obscurè nominata videntur, sive quod judicia ad revolutiones certas solares lunaresve haberentur, quod & Tacito in Germaniâ observatum, sive quod in unum conveniens multitudo, judici circumfusa, in orbem conglomeraretur: (Sub dio enim veterum judicia habebantur, unde in jure Wesmannico conjunguntur; Til Tingz och ringz / & Tingh och ringh): Sive deniq; quod per vices facto circuitu singuli territorij patresfamilias ad judicia convenire tenerentur, prout id in antiquo & novello jure præceptum extat.

Cœterum hæc vox olim desiit, usurpatâ ante annos quadringentos, voculâ Tingh / quæ quondam etiam apud Germanos in usu, hodie in desvetudine, apud nos tantum retinetur, latiore tamen significatu. Conventum enim publicum promiscuè omnem notat, non jus tantum reddendi causa, sed & consultandi, deliberandi, eligendi, agendi, etiam commercandi, unde in jure nostro, Mora Tingh / Diisa Tingh / Samting / Kyndel Tingh / Kiöp Ting. Tingh.

Iudicia Gothi nostri & Scanici, Dani, Nor-

Fåmpt

vegi quoq; & Islandi, voce rei adæquata Fåmpt vocavere,& nonnihil distinxisse videntur â Ting/ quod in hoc conventu scilicet aliarum rerum causâ,vadimonium factum, lis contestata, testes vel Sacramentales nominati; In illo vero, causa acta, & testes producti. Cœterum nomen illud à numero quinario deductum videtur, vel quod quinq; dies intercessissent, ex quo causa dicta est & acta, vel quod intra decimum quintum diem omnino finiri debuisset. Ius enim qualibet hebdomade ruri dicebant, die scilicet Lunæ, Iovis & Saturni. Itaq; si quis dicam dixit die Saturni adversario suo, causam die Iovis prosequvutus est: Si die Lunæ, die Saturni; Si verò tertio judicij die, id est, intra decimum quintum, lis terminari non potuit; devoluta est ad summum judicium provinciale, quod in Gothia dicebatur Liongа Tingh / eo loci ubi nunc Lincopia est, unde nomen oppido remansit Lionga Kiöpung/ ita enim in vetusto jure nominatur.

Judicia antiquissima& qualia.

Iudicia veterum & antiquissima, ut alia omnia, penitus simplicia fuerunt, ignoratâ omni provocatione, & pluribus, quæ ad eam necessariò instituendæ fuerunt, instantiis. Populus enim

1, 2, De Judiciis & eorum differentiis.

nim simplex, ambitionis ignarus, sepositus quoq; à contemplatione & admiratione opum mundi, aut paucas lites habuit, aut quas gloriosius existimaret armis, quàm judiciis terminari, Marti quam Mercurio addictior, præcipuè cum non ex jure scripto, sed aut ex consvetudine gentis, aut ex æquo & bono, omnia deciderentur. Itaq; initiô actionis omnem dolum sanctè abjurabant: **Hielpe swa Freyer som Niordur/och hin all-machte As.** As Othinus erat, sic dictus quod ex Asia oriundus. **Freyer** & **Niordur** filius & nepos Othini, Reges Upsalenses, postea pro Diis culti, per quos jurabant. Cœterum As sive Othinus, cum magicis artibus & præstigiis admiranda patrasset, **almachte/** id est, omnipotens dicebatur. Juramentũ partium.

Successu autem temporum factum est, cùm jure scriptô uti cœpissent, ut judicia majore pompâ & apparatu, quam fortasse ex usu, instruerentur. Itaq; cum Regnum in certas civitates & provincias, & hæ vicissim in suos Comitatus sive Districtus vel Heredas, Heredæ deniq; in quadrantes dividerentur, alibj in trientes, ut in Wermelandia & Gothlandia, tot etiam forent judicia, tot judices & instantiæ: Prima & infima in-

stan-

Fierdingz-Ting.

stantia fuit quadrantis sive judicis quadrantarij, Fierdingz-Tingh/ quæ de jure Gothico & Norico præcipue obtinuit. Hanc causæ omnes minoris momenti spectabant, alle tremärckis mähl/ laghstämbd och lagkallat til lagha-sockin, ähn dhe waru ey Jordadelur/ och ey waru Lionga Tingh firi Stämbdt. id est, Omnium trium marcarũ causæ, & quæ præterea in puncto executionis versantur, exceptis de solo & fundo controversiis, atq́, ita tamen, nisi summum judicium provinciale institisset. Iudex hujus instantiæ Tetrarcha dictus, Fierdingzhöfdinge/domesticus erat, quem domi suæ jus semper dixisse crediderim, nam & ordinariam ad manum habebat Nembdam, & procuratorem etiam ordinarium, cujus solius nomen & ex parte officium hodie retinetur Fierdingzman/ reliqua obsoluerunt.

Secunda instantia, hodie prima, Districtus sive Comitatus, quem nostri Hæredam nominant. Hæreda autem provinciæ pars est certis terminis & nomine suo circumscripta, sub uno judice, qui & in cœteris quæ ad territorium spectabant, præsidebat, unde caput seu princeps territorii istius vocatus fuit, Häradzhöfdinge.. Hæredam

redam

1, 2, De judiciis et eorum differentiis.

redam autem ab exercitu dici volunt, qui nostra voce Häär nuncupatur, & ödhe/ quod extra controversiam possessionem denotat, quasi posset quilibet ejusmodi districtus exercitum proprium alere & educere, quod mihi probabile non est, quælibet enim hæreda ab initio in quibusdam Provinciis non nisi unâ Ecclesiâ sive paræciâ terminabatur, quæ Sokn dicta fuit, vel Sökn à söki a/ quod eo loci congregarentur, sive ad Iudicia, sive etiam ad sacra facienda. Centum autem ut plurimum villas vel potius colonos continuisse videtur, unde Uplandis & Svedis Cisſylvanis Hundari non obscura ratione dicta fuit, quæ divisio olim apud Almannos, Francos & Longobardos recepta fuit, apud quos non minus ac nostrates districtus ipse *Centena* (centuriam rectius dixeris) dictus fuit, & judices ipsi ex eo *Centenarij*, auctâ verò hominum multitudine & dilatatô cultu, centena una plures peperit parœcias, unde hodiè, nec incolarum nec etiam parœciarum numero inter se districtus illi sunt æquales, quemadmodum nec in Dania aut Anglia, ubi eadem prorsus partium provinciæ & distinctio est & nominatio. Iudex hic, de causis promiscue

omnibus inquirebat, cognoſcebat & dijudicabat, excepto crimine læſæ Majeſtatis, hodie de omnibus quidem cognoſcit, non tamen de omnibus judicat: Cognitio enim rei vel facti in territorio ſuo inſtitui debet, quamvis jus ejus alibi dicatur, quod præcipuè propter ordinum aut perſonarum privilegia fit. Ceterum unius Hæredæ non niſi unus etiam Judex erat de jure, alter ex Nembda, quem proprie judicem vocant, quorum utrumq; ſimul præſidere fas fuit, alterum ſemper. Sed & unâ Hæredâ quemlibet judicem, quomodo unâ uxore, oportebat eſſe contentum. Iudicia hæc ſtato loco & tempore habebantur, quæ rarò aut nunquam mutata, majorem ijs auctoritatem & conſtantiam addidiſſe videntur. Ædes judicii juxta ædem plerumq; Eccleſiæ, quod judicia etiam ſancta crederent; cujus fores ter in anno apertæ fuerunt, hyeme, vere & autumnô. Hyeme, alterâ ab Epiphanias dominica die, ad dominicam Quadrageſimæ: Vere autem à die Divæ Valpurgis ad feſtum S. Iohannis: Autumno deniq; à feſto S. Michaelis ad Dominicam adventus. Quodcunq; prætereà totô annô temporis ſuperfuit, quia à litibus pacatum erat, à pace no-

men

1, 2, De judiciis et eorum differentiis.

men meruit, Julafridh / Wårfridh / Anfridh / in quo sollicitè cautum videas, ne litium prosequutione, vel cultus sacri & summæ festivitates, vel etiam labores necessarij impedirentur, cùm reliqvum illud tempus aut religioni ac pietati, aut agriculturæ vel messi colligendæ tribui soleat debeatq;. Hoc adeò strictè observatum fuit, ut intereà super debito aut causa aliqua civili neminem compellare jura Svedica permittant, præcipuè vero tempore sationis & messis. Non dabatur actio nisi eo nomine, si quid tale esset quod agriculturam impediret, ut si frumentum, aratrum, aliudve instrumentum rusticum, cujus eo tempore usus, repetendum esset: Illud enim qvôvis tempore vindicari poterat, ideo aratrum pignori accipi etiam Græci legislatores vetuerunt, & Phrygum Lex durior, qui furem bovis, aratoris aut instrumenti quod sationi inserviret, morte puniverunt. Hæ feriæ aliquando extensæ sunt, aliquando etiam extra ordinem indictæ, ut tempore belli aut expeditionis nauticæ, tempore etiam nundinarum Disanarum, quæ manserunt usq; ad Samtingenses. Quemadmodum extra ordinem etiam tempore feriarum ali-

qvando judicia indicta, ubi ſcilicet cognitionis dilatio exemplo ex ſpe & facilitate elabendi, Reipublicæ pernicioſa futura eſſet, ut in violatione pacis publicæ, vel cum adulterium, homicidium, furtum commiſſum eſſet, aut vis fœminis facta vel intentata. In hujuſmodi enim caſibus ordinarium judicii tempus expectandum non fuit, ſed vi legis Iudex ſimul ac de corpore delicti conſtitit, judicium & officium ſuum expediebat, dicebatur **affkiänno-Tingh** / cujus judicii hoc peculiare erat, quod in eo probationes nullæ canonicæ per Sacramentales reciperentur.

Affkiãño-Tingh.

Toto autem anni tempore judiciis deſtinato, non niſi unico die ſingulis ſeptimanis judicium habebatur, niſi ſi quid tale incidiſſet, cujus cauſa continuatio judicii in plures dies neceſſaria videretur. Sed & ſi conſtaret nec illo quidem die quidquam controverſiæ futurum, convenire nihilominus tenebantur, quos ordo veniendi tangebat, ut eſſent ad minimum viginti quatuor præſentes, ſex ſcilicet ex quolibet quadrante, idq; proptetea, ne ullus locus foret querelæ de denegata juſtitia, ſeu, ut jus noſtrum loquitur, **at Rätten icke nederfaller.**

Tertia

1, 2, De judiciis et eorum differentiis.

Tertia Instantia, hodie secunda, est judicis provincialis, qui in singulis Comitatibus, sive hæredis, semel tantum in anno jus dicebat. Iudicium ejus **Laghmans Tingh** dictum fuit à judice, qui in hac instantia κατ' ἐξοχὴν Nomarcha sive vir legum nostrâ linguâ dicitur, non tam quod juxta leges jus diceret, (hoc enim commune cum reliquis judicibus habebat,) quàm quod cura legis componendæ ad illum olim pertinuisset, de qua re infra. Hic autem causas non tantùm appellatione interposita (quod hodie observatur,) sed quovis modo ad se devolutas suscipiebat. Appellatio enim & fatalia primitus ignota aut neglecta. Cui sententia non placuit, detrectare licuit, modò coram superiore judicio motam terminari vellet. Posteà sponsiones & vadimonia inventa, & pecunia in eum finem deposita, ut eam Iudex, si recte judicasset, lucraretur, sin minus, perderet, & tantundem etiam ex sua. Metus ille pecuniæ amittendæ sollicitos judices habuit, ne incuriosè judicarent; litigantes, ne temere appellarent. Posterioribus verò seculis ordinariè, ut hodie, ad judicem secundæ instantiæ

Laghmans-Ting.

 perti-

pertinebant, 1. Causæ appellatæ. Appellatum autem fuit ut plurimum antequam cognitâ sententiâ plenè judicaretur, perinde ut hodie in causis regundorum finium, idq; propterea præcipue ne perjuria committerentur, cùm eô tempore omnis fere probatio in Sacramentis fundaretur. 2. Deinde causæ remissæ, vel à judice inferiore in puncto ignorantiæ juris, vel à superiore, suspectô judice primô: Hinc etiam causæ denegatæ justitiæ in foro inferiore: Extra ordinem verò consvetudine & more recepto, de aliis etiam causis promiscuè omnibus, quæ in tempus judicij ejus incidebant, cognoscebat, ut de violatione pacis publicæ, homicidiis, furtis, &c. de successionibus ab intestato, de contractibus super fundis, quorum instrumenta publica, perinde fuit, sive in prima sive in secunda instantia conficerentur, nisi quod postea receptum fuit, (quod tamen & juri antiquo innititur,) ut instrumenta in prima instantia conficiantur & edantur, in secunda verò confirmentur, necessitate prorsus nullâ, siquidem ab initio legitime processum fuit. Ceterùm hæc instantia coincidit alibi cum prima, ut in Wermelandia, Vallibus orientalibus & occidentalibus,

1, 2, De judiciis et eorum differentiis.

talibus, Gestricia, Helsingia, & reliquis versus occidentem Borealibus regni provinciis, quibus antiquitus prima & secunda una fuit, quod bis in anno & singulis in parœciis habebantur.

Ultima verò judicium Regium provinciale fuit, semel in anno & uno tantum in loco, **Landztingh**/ Ultima enim instantia Regis erat, sive eorum qui nomine Regis summum judicium exercebant, à quibus nulla ulterior dabatur postulatio: Nullum enim majores nostri in terris tribunal superius agnovere Regiô, quò magis reprehensione digna est incogitantia Iohannis II[di] Sveciæ & Daniæ Regis, qui rem gladiô determinandam ad Cameram Spirensem traxit. Impunè Steno Sture, Cæsari extra territorium citanti, non paruit, nec quantum ad se, jus regni violari passus est, quod Rex pro Dania quidem, turpiter prostituebat. Landztingh.

Iudicium Regis ordinarium duplex fuit, **Råffztingh** & **Råttaretingh** / inquisitorium & correctorium. Iudicium summum inquisitorium seu animadversorium **Råfztingh** / aliàs provinciale, **Landztingh** / eadem significatione, ordinarium seu anniversarium erat, stato loco & tempore, Landztingh. seu Råffztingh.

pore,

pore, quod abſente Rege ſuos ordinarios habebat Aſſeſſores, tam Eccleſiaſticos quam ſeculares, & inter ſeculares etiam inferiorum judiciorum judices; unde cauſas etiam utriusq; fori, nomine Regis tractaſſe videtur, cumprimis tamen eas, quæ pænam & vindicationem poſtularent, ne ſcelera impunita forent, ne quid contra jus Regis aut etiam ſecuritatem iuramento regio ſtipulatam committeretur, neve ullo modo pax publica læderetur. Hoc non tantũ ex notatione nominis, ſed & officio & iuramento Nembdæ, quod cap. 35. de iure Regio & 41. de iudiciis expreſſum extat, ſatis colligi poteſt. Ius Oſt-Gothicum aliquanto quidem latius huius fori cauſas explicat: **Alla Eedzöre/ Tweſwåre/ olaga Edha/ Kniffſlag/ Könnngz dombrått/ alla Jordadelur/ alla Högmåhla/ alla flåder-tungzmåhl/ alla Mordgiåld och Råån och alla olaga Nåmbder/ ſå och ån tree giſwå een tiuſſaak;** id eſt, *Controverſiæ de fundis & cauſæ criminales fere omnes, quæ quidem eſſent majoris momenti, aut pænam haberent pecuniariam quadraginta marcarum,* ſed ita tamen ut in arbitrio actoris eſſet, ea etiam in inferiore iudicio perſequi. Tanti certè quædam non fuerunt, ut de iis cognoſcere

1, 2, De judiciis et com differentiis.

ſcere non etiam inferiora judicia poſſent, quædam etiam ſolâ ſupremi iſtius cognitione indigna, ideo pleraq; hæc (excepto crimine læſæ Majeſtatis) in prima inſtancia dijudicata fuerunt, judicium ſupremum leviter ſaltem cognovit, & magis executoriale erat, in eo præcipuè occupatum, quo legibus vigor, vis; Imperio & Regibus ſua authoritas conſtaret.

Judicium verò prætorium, vel ut noſtrates vocaverunt, correctorium, **Råttare=Tingh** / ordinarium vel anniverſarium non erat, idcircò non certo loco aut tempori adſtrictum, ſed pro re nata & cauſarum copiâ crebrius rariusve habitum, Nembdam habebat, nec illam ordinariam quidem aut ſtatam, pari tamen numero ex equeſtri & plebeio ordine, unde cauſas tantùm ſeculares & quidem civiles ſuſcepiſſe videtur, & ut vi vocis concludi poteſt, correxiſſe, mitigaſſe vel etiam exaſperaſſe, prout id æqvum viſum eſſet, ex quibus cauſis Prætores olim in integrum reſtituebant. Liberior itaq; horum fuiſſe poteſtas videtur, à rigore juris liberata, quod non obſcurè innuere videntur verba illa: **Konungar må åtherbryta all Skrock Sokuur och alla affoknur/** Råttare-Ting.

och Laghman åger Lagh skilia: id est, *Regem posse moderari aut exasperare quidquid ante illum perversè, rigorosè aut lenitèr in excessu aut defectu judicatum esset. Judices vero inferiores strictè ad jura alligatos esse*, quam potestatem, cum eo loco Regi supra judicium & contra ejus decreta tribuat, dubitare cogor, an unquam in ejus exercitio judicium summum fuerit, præsertim cum nec hodie quidem in capitalibus contra rigorem juris quemquam inconsulto Rege à pœna mortis liberare possint, quam jura imponunt.

Itaq; ut de hisce judiciis in genere eorumq; causis quid sentiam, levi conjectura exponam, probabile est ab initio, quod de jure etiam Saxonum vetusto obtinuit, quievisse omnia inferiora judicia, dicente jus Rege. Quamcunq; enim provinciam ingressus esset, judicis illius tribunal Regi vacasse, eumq; judicasse omnes causas quæ incidebant, & coram judicio inferiore non fuerant inceptæ. Hoc enim manifesto apparet usu & consvetudine receptum fuisse, in secunda instantia, respectu primæ;& de jure Gothico liberum erat actori in causa graviori, vel postulare judicium summum, vel etiam in inferiore adversus

1, 2, De judiciis e eorum differentiis.

versus reum experiri, præsertim si res dubia Sacramentalium manum exposceret, aut satisfactionem pecuniariam, vel etiam, quemadmodum in Norvegia, in suspenso, etiam appellatione non interposita, fuisse judicum inferiorum sententias, præsertim de re majoris momenti, donec judicium supremum recognovisset; quidquid verò coram illo denuo motum non fuit, ivisse in rem judicatam. Non fuerunt eo tempore lucro aut litibus valde dediti, quare cum iudicum sententiis facile acquiescerent, hæc judicia rarò exercita fuisse videntur, ad extremum etiam confusa, & quoad causarum distinctionem, pæne ignorata, donec Anno 1600 in conventu Lincopensi, de iis iterum in usum revocandis ageretur, statutúq; ut bis in anno, Hyeme Upsaliæ in nundinis Disanis, Æstate Lincopiæ circa festum D. Petri exercerentur, causásq; solas susciperent, quæ in judicio provinciali terminari non poterant. Sub initio tamen imperii Gustavi Magni hæc paulò immutata, primum in effectum deducta fuerunt, constitutis iudiciis aulicis, à quibus hodie Holmiæ, Iönecopiæ, Aboæ, Dorpati, à diversis personis bis in anno iustitia administratur, causæ

omnes criminales resolvuntur, & civiles ex tantum, quæ aut appellatione aut privilegio istuc spectant.

Iudicia autem hæc quamquam Regia essent, Regio nomine & authoritate exercita, *Regem* tamen Majores nostri quibuscunq; iudiciis aut iuris solennibus ita non astrinxerunt, ut non liceret ei, aut de plano & sine strepitu forensi cognoscere, aut etiam rem totam retractare, si sinistre vel parum accurate examinata & diiudicata esset, quare hæc exceptio semper legibus additur: **vtan Konung wil sanning vthleta.** Item **hafwi ingen wåld dhen Eedh åtherbryta / vthan wådiat warder / och Konung wil Sanning vthleta.** Item expressius, **The Nämbd (Konungz) må ingen wådia emoot / dock må Konunger om all måhl sanning vthleta / han må åtherbryta all Skrocksoknur och affsoknur:** Et post capitulationem cap. 4. lib. 1. vel inter reliqua iura Regis hoc etiam recensetur: **Han åger i Rijke sino aff Gudi högsta Domb hafwa / och swa Allmogens kåremåhl effter Laghum / eller effter vthleta fulla sanning höra / hwad heller han will /** de cuius paragraphi genuino sensu infra dicetur.

CAP.

1,3, De Judicum electione & officio.

CAPUT III.

De Judicum electione & officio.

ARGUMENTUM.

Constitutio judicis per electionem. Modus & ordo eligendi judicem secundæ instantiæ. Judicem primæ instantiæ. Constitutio judicum ultimæ instantiæ. Juramentum & officium judicum judiciale. Officium judicum extrajudiciale, & in quibus. Potestas & authoritas judicum secundæ instantiæ. Dignitas judicum primæ instantiæ.

IUdicis ut & magistratus omnis olim penes populum electio erat, confirmatio penes Regem. Electio autem restricta, certo modo & conditione peracta. Quoties enim vacabat locus, populus convocatus per Episcopum, ex seipso duodecim Electores eligebat, ex equestri ordine sex, & totidem ex plebe, qui tres alios vicissim eligebant, quos pares muneri existimabant, ex quibus Rex unum confirmabat. Electio autem hæc ad incolas restricta fuit, neq; enim fas extra territorium judicem

Constitutio judicis per electionem.

quærere, quod intuitu cumprimis tribunitiæ potestatis factum arbitror, de quâ postea.

Electio qualis.

Electorum electionem jus antiqvum non populo sed Regi tribuit, confirmationem etiam Regi aut ejus vicario. Eodem vero modo & conditione electus est judex primæ instantiæ, in ipso quoq; instantiæ istius territorio quæsitus, saltem duodecim erant electores, præter ipsum judicem provincialem, cui & convocandi & suffragandi jus erat:

Iudices autem ultimæ instantiæ, ut suos, Rex solus eligebat absq; populi suffragio. Sed in ordinariis & anniversariis illis judiciis, aliis fere usus non est, quam Episcopo loci ordinario & judice provinciali. Hi pro arbitrio sibi Assessores adscivisse videntur, Episcopus è capitulo binos; & totidem ex senatoribus Regni aut primaria nobilitate, judex provincialis.

Officium judicis quâ judex.

Officium judicis proprium juramento continetur, quod quale olim fuit, etiam hodie est, & sibi seculis omnibus constare debet, de quo nihil attinet prolixè dicere. Ius Norvegicum pluribus officium boni judicis describit, & quasdam præcipue virtutes inculcat & commendat, ut

mise-

misericordiam, veritatem, justitiam, patientiam. Misericordiam, ne vindictæ detur locus: Justitiam, ne iniquitati: Veritatem, ne mendacio: Patientiam, ne præcipitantiæ. Proinde ut metum, favorem, odium, vitet, & quidquid aliquem horum affectuum incitare potest, ut potentiam, pecuniam, genus &c. Et quotiescunq; causa magni momenti dijudicanda esset, ut hoc caput de officio & virtutibus judicis sibi publice prælegi faciat, &c.

Iudicem ex malitia & avaritia male judicantem, majores nostri non tantùm gravissimè mulctarunt, sed & cum infamia perpetuò ab officio removerunt. Ex imperitia autem & simplicitate peccantem prorsus impunitum dimiserunt; Loco pœnæ enim pecunia sufficere visa, quam eo in casu, si appellatum esset, parti læsæ, præter eam, quam vadimonio deposuisset, restituere teneretur.

Officium judicis extrajudiciale.

Sed hæc de officio judicis, quatenus judex in causis civium dirimendis versabatur. Fuerunt & causæ quædam extrajudiciales, & quasi officij alienæ, de quibus judices nostri disponebant, non tamen ut judices, sed ut principes vel capita populi. Fuisse enim videtur potestas eorum, qualis

Epho-

Ephororum apud Lacedemonios, aut tribunitia apud Romanos, præcipue vero judicū provincialium, quibus antiquitus juris non dicendi tantum, ſed & componendi cura commiſſa fuit. Unde illi ſoli *Nomarchæ*, viri legum, & jurisdictio eorum, noſtra voce ſola jurisdictio, nomarchia (Lag⸗ſagu) dici merebatur. Fuit enim hic olim ſtatus magna ex parte popularis, qualem ſuis temporibus fuiſſe in Germania Tacitus, In Gallia Cæſar teſtatur. Quid enim aliud civitates eorum quam provinciæ noſtræ? Congeries ſcilicet pagorum ſive multitudo quædam hominum, eodem juris & locorum conjugio in unum conſentientium: Neq; enim urbes erant, quales hodie in Germania ſunt, cum diſertè neget Tacitus, tanquam rem omnibus notam, *ullas Germanorum populis habitari urbes, nec paſſos quidem inter ſe junctas ſedes: Sed coluiſſe diſcretos & diverſos, ut fons, nemus, campus, placuiſſent.* Hæ provinciæ parvum quoddam reipublicæ corpus ſibi feciſſe videntur, non aliàs in commune cum reliquis conſulẽtes, quàm cum aut de hoſte pellendo, aut Rege eligendo vel ſuſtentando ageretur. Tunc quoq; per judices provinciales ſuffragia dabant. Non enim, ut

hodie

1,3, De judicum electione et officio.

hodie, ſeparati ordines erant, ſed provinciæ, ubi mixti nobiles, clerici, cives, milites, ruſtici, provinciatim & pro communi habitationis loco reſponderent, quod & antea dictum eſt, & inter ſe ordines magis quàm provincias conjunxit. Iudices ergo provinciales non tantùm leges conſcribebant, quas Reges confirmabant, ſed & Reges ipſos eligebant, electos proclamabant, & populi & ſuo nomine homagium ipſis præſtabant; Inaugurandos quoq; per provincias quiq; ſuas, datis obſidibus, circumducebant, ut quem omnes feciſſent, ſingulæ jure ſuo recognoſcerent, quod & olim ſub Comitibus in Belgio factum. Quoties verò aliquid præter ordinarios fiſci reditus populo imperandum erat, hi Iudices cum ſelectis quibusdam ex equeſtri & plebeio ordine, decernebant, arbitri & cenſores tributorum; illi quoq; de locis publicis diſponebant, terminos definiebant, canonem imponebant, quandoq; etiam vendebant, ſed in uſum provinciæ, nullâ ad id interpoſita Regis authoritate. Illi quoq; Aſſeſſores erant, imo aliquando & Præſides in ſupremis Iudiciis, ut non minus in omnibus inſtantiis, quam aliis conſeſſibus qui ſummam rerum & ra-

tionem ſtatus tangerent, ſuas videantur habuiſſe
manus. Summæ ergo apud populum authori-
tatis, apud Regem dignationis fuerunt, utpote
pro quibus, perinde ut pro Rege, vota publicè
ſuſcipiebantur, & quid aliud quam *principes illi* Ta-
„ cito *in conſiliis populi electi, qui jura per pagos vicosq; red-*
„ *derent? Centenos ſingulis ex plebe comites* addit, *conſilio*
„ *ſimul & authoritati.* Noſtris præter Aſſeſſores, qui
in conſilio erant, ex plebe in miniſterio ad mini-
mum quadraginta adfuiſſe videntur, vel certe de-
buiſſe, **fyratijo ſeſſa a ſielff ſins kuſt.** Quare
nihil mirum eſt, ſi, cum acta eorum in luce eſſent,
ad memoriam poſteritatis conſignata fuerint, in
quo præ reliquis commendabilis eſt, iſtius com-
pilatoris diligentia, qui jus Weſt-Gothicum de-
ſcripſit, id ipſum ſcilicet ſuppeditantis, quô glo-
riari non reliquæ provinciæ, nec ipſa quidem Up-
landia poſſit, quamvis & antiquitate & autori-
tate iſtorum judicum antecelluerit, ab ipſo enim
Ethniciſmo ſeriem eorum deducit, à Lumbero
ſcilicet, primo iſtius juris ſcriptore, per ſeptende-
cim intermedios usq; ad Falconem, qui vixit cir-
ca annum 1280, & qualis quisq; eorum fuerit in
vita & officio; quod potiſſimum eo fine factum

judico,

1, 3, De judicium electione & officio.

judico, ut futuri judices haberent, juxta Reges, exempla quoq; quæ aut vitarent aut sequerentur, alterumq; eligerent, vel gloriam justitiæ cum pretio conscientiæ; vel infamiam iniquitatis, si conscientiam non reformidarent.

Sed potentia hæc & authoritas pro Regibus vel etiam adversus Reges aliquando benè aliquando & malè usurpata fuit, fuerunt enim secula cum (ut fieri solet) in ejusmodi regnis, corruptâ electione, neglecto suo & populi jure, ipsi cum Episcopis in partes abirent & occasionem darent emendandi status, qui, quasi clavo amisso, fluctuabat, cum nec illi possent, nec alios vellent imperare, Regibus iniqui, sibi mutuò infensi. Quod liberatâ è Christierni II[di] Tyrannide patriâ, Gustavus primus, primus etiam veræ Monarchiæ stator & fundator, prudenter considerans, in successione certa effecit, ne opus foret ejusmodi Ephoris. Exindè dignitas hæc magis Senatorum quam judicum nomine mansit, quod semper in una persona conjungerentur; ut enim ex judicibus his olim senatores, ita hodiè ex senatoribus his, Iudices provinciales constituuntur, quorum electio non amplius penes populum, sed solum

Regem eſt, adeo ut nec Ducibus Regni hæreditariis eos in provinciis ſibi ſubditis conſtituere permiſſum eſſet. Pari enim cum illis, quoad judicium, pollebant authoritate, cum à judicibus inferioribus æque ad hos, ac ad Principes ipſos fieret poſtulatio, ac ad ſummum judicium Regium, perinde fuit ſive ab his ſive à principe ipſo appellaretur.

Talis, non tanta, id eſt, minor quidem, ſed non diſſimilis fuit poteſtas judicum primæ inſtantiæ, qui Hæredarum Capitanei vel principes dicebantur: qua quisq; territorii ſui negotia dirigeret, gravamina & vota colligeret, procuraret, etiam diſpenſaret de reditibus, qui partim ex mulctis, partim ex cultura agri publici proveniebant; fundos enim univerſitatis elocabant; pontium & viarum munitiones ut ædiles curabant, & alia ejuſmodi pro arbitrio adminiſtrabant, de quâ re alias, & tantum de judicibus, eorum electione & officio.

1, 4, De Nembdæ constitutione & officio.

CAPUT IV.

De *Nembdæ constitutione & officio.*

ARGUMENTUM.

IN judicio controvertitur & quæritur vel factum vel jus. Nembda judex de facto. Nembdæ origo. Nembda olim incerta & vagabunda. Nembda hodie stata & ordinaria. Nembdæ Electio. Nembdæ officium in examine facti, non juris, consistere probatur. Concordia juris nostri cum Danico & Anglico.

JUdicia nostra respectu decisionis causæ controversæ, duplici semper personarum ordine constituta fuerunt. In omni enim instantia infima, media & summa, præter judicem adhibiti quidam fuerunt (ut & hodie) qui nostratibus **Nämbd** dicuntur, id est, nominati vel deputati, quod præcipue ad rei cognitionem eligantur, de quorum origine & officio paucis hoc capite explicandum est.

Originem Nembdæ Saxo Grammaticus refert ad Regnerum **Lodbrogh** Sveciæ & Daniæ **Regem**. *Statuit*, inquit, *ut omnis controversiarum* Origo Nembdæ.

„ *lis, ſemotis actionum inſtrumentis, nec accuſantis impeti-*
„ *tione, nec rei defenſione admiſſa, duodecim patrum appro-*
„ *batorum judicio mandaretur.* Videntur ergo ab initio pro ſuo arbitratu ſtatuiſſe, & tam de jure, quam de facto. Poſtquam vero Chriſtiani facti ad ferrum candens crebrius provocaſſent, ceſſavit Nembdæ officium ex parte, ſed non diu. Abolito enim ferro, ad Nembdam iterum aut etiam ſacramentales itum eſt, & Nembda crebrius in cauſis dubiis, aliquando etiam ſupra ſacramentales recepta, in hodiernum usq; diem permanſit, de cujus genuino & proprio officio, quia non ſatis inter noſtri Iuris Conſultos convenit, quid juris fuerit antiqui, eruere conabimur. Iudicium penes alios eſto, utrum præſtet, quod hodie, an quod olim fuit.

Nembdæ officium.

In omni cauſa duo præcipue judici conſideranda veniunt: factum ſive res ipſa in ſua quantitate ac qualitate, ac deinde jus ſuper ea re vel facto, quod in judicio quæritur. Res ipſa vel factum in ſua latitudine judici non ſemper conſtat, jus conſtat vel certè conſtare debet. Itaq; ubi res aut confeſſione, aut teſtibus, aut aliis documentis non ſatis eſt manifeſta, in ſubſidium hæc

Nembda

24, de Nembda constitutione et officio.

Nembda à majoribus constituta fuit, quæ rem vel factum quoquo modo exploratum, judici tradere teneretur, ut sine mora sententiam super ea re ex jure conceptam ferret; atq; ita circa alia officium Iudicis fuit, circa alia Nembdæ. Nembda de facto cognoscebat, quod mox uberius probabitur, Iudex de jure. Illa statum causæ exponebat, hic statum controversiæ decidebat.

Nembda vero ab initio, ut hodie, stata & ordinaria non fuit, sed alia atq; alia, non modo in quolibet judicio sed & quâlibet in causa, quam partes litigantes eligebant, pari numero utrinq;. Successu autem temporis, cum ejus officium necessarium esset, conquisitio vero pro singulis in singulis causis gravis videretur, de certis & ordinarijs cogitari cœptum est, ne eorum penuria, aut defectu, causæ protelarentur. Itaq, vel judex ipse vel præfectus provinciæ Regius (utrumq; enim de jure extat) Nembdam coustituebat, *viros honestos, domicilij certos, binos, trinos vel etiam senos ex singulis territorij quadrantibus*, qui quod *deputati* essent, **Nämbdemän**/quod *duodecim* **Tolfmän**/quod *integræ vitæ*, **Sannemän**/ quod *Senes* **Oldungar**/ nominati fuerunt.

Nembdæ constitutio & electio.

Hos

Hos autem invitis aut contradicentibus partibus constituere non licitum. Consensus autem partium præsumptus fuit, si ad nominationem eorum tacuissent, cum liceret palàm excipere, & semper ex probabili causa tres repudiare, etiam plures ex causa prægnanti & manifesta. Fuerunt tamen quædam causæ in quibus eos nec judici nec præsidi provinciæ, sed partibus tantum nominare & constituere injungeretur, ut in causis transfugij vel desertæ militiæ, in causis retractus, pietatis denegatæ, finium regundorum, æstimationis, damni, lucri, &c.

Nembdæ inquisitio circa factũ sive rem, non vero jus, probatur.

Officium autem Nembdæ non fuit, quod hodie, cum Judice judicare & per suffragia sententiam dicere, sed quod modo dictum, factum tantum examinare, explicare & judici certum tradere, id quod non ex antiquo tantum sed & novello Christophori jure patet. Videantur Cap. 26, 34, 35 i Konungzbalken. Cap. 3, 13, 14, 21, 22. i GifftmåhlaB. 18 i ErfdaB. 1, 2. 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9, 11, 12, 13, 14, 15, 20 i HöghmB. 2, 4, 17, 20, 22, 35, 38 i DråpmB. medh will. 5, 9, 11, 12, 13, 16, 18, 22, 23, 29, 35 39, 40 i EdzöhresB. 2, 4, i DråpmåhlaB. med wåhda

&

1, 4, De Nembdæ constitutione & officio.

& infinita loca alia, quibus facti tantum cognitio, nulla jurisdictio Nembdæ datur. Quin etiam expressè in aliquibus locis Iudicis & Nembdæ officia conjuncta separantur, Cap 26 i Konungzb. Häradznämbd skal medh dhera ransaka malit/ fälla dhe han/ döme tå Laghman vnder Swärd. Cap. 42. i Edzöres B. Ther skulu Tolf tilnämpnas som dhet malit ransaka skulu/ finne dhe at giärningen är vppenbahr/ då skal Häradzhöffdinge dhem alle vnder Swärd döma. Cap. 14. i Högmåla B. Är han tilbunden med wittnen och Häradznämbd/då äger Häradzhöfdinge han döma qwickan i Jordh. Item Cap. 24. i Edzöhres B. HäradzNämbd swäria dhem alla biltuga/ och Häradzhöfdinge döme them alla fridhlösa/addantur Cap. 15. i Erfda B. & 18. i Dråpmåhl B. medh will. & expressissimum discrimen apparebit. Locus unicus est cap. 12. i Dråpm: B. medh will. qui judicis & Nembdæ officium confundere videtur, qui tamen, si probè inspiciatur, judicem ibi respectu Regis partem Nembdæ constitui arguit, cujus eo loci partes sunt, pro arbitrio ex æquo & bono mulctam determinare, judicare vero non potest, aut sententiam aliquam

juxta leges ferre, si enim nocens reus deprehensus fuerit, interveniente salvo conductu dimittitur, ut ibi nullæ sint judicis de jure partes. Sed præter hoc satis evidens est Nembdæ officium ex juramento quod præstare tenetur, & quo obligatur non absolvere nocentem, nec condemnare innocentem, quem scilicet imputati criminis reum aut non reum judicat, cum è diverso judicis Sacramentum eò dirigatur, quod velit in sententia ferenda jus sequi, nec illud quocunq; affectu aut respectu variare vel cogere, & quorsum duplex illa ab uno judicio appellatio, nisi judicis & Nembdæ officia fuissent distincta? Est enim alia appellatio à Nembda ad Nembdam, & à judice ad judicem, ab uno quidem judicio. Hæc enim interponitur, ubi judex iniquè aut perversè judicat, id est, non rectè applicat jus ad actionem vel factum. Illa vero, cum rei aut facti ratio, aut perversè, aut non satis est explorata. Potest enim fieri, ut res cum suis circumstantiis sit satis manifesta, & tamen ad illud jus non recte applicetur, & vicissim ut jus recte quidem ad factum applicetur, prout judici de eo constat, sed ut illud tamen aliter se habeat: In illo judex errat, in hoc

Nembda

1,4, de Nembdæ constitutione & officio.

Nembda. Ibi locum habet provocatio à judice ad judicem: In hoc a Nembda ad Nembdam, cap 37 & 38. i Tingmåhla B. prout jure est constitutum. Evincit hoc ipsum deniq; pœna cunctantium in sententia ferenda. Utriq; enim & judici & Nembdæ, sententiam aliquando differre non licet, aliquando licet; Iudici non licet, nisi juret se jus in eo casu non scire; Nembdæ non licet, nisi, si veritatem nondum se invenisse fateatur, id est, veritas in Nembda, cognitio juris & applicatio in judice spectatur. Altera enim alterius sic poscit opem & conspirat amicè. Cap. 34 i Tingmåhla B. & cap. 25 ibid. Quin-imo de jure West-Gothico adeò manifestè judicis & Nembdæ officia separantur, ut sub pœna etiam judici interdicatur, ne se officio Nembdæ immisceat, neve illis ullo modo præeat aut præjudicet.

Hæc Nembdæ ratio etiam hodiè non in Dania tantum, sed etiam in Anglia superstes est, ex eo procul dubio jure, quod Dani & Normanni olim in Angliam invexerunt. Perinde enim ut nos, & habent & nominant Tolfmånn. Perinde etiam ut nos, eligunt, ex viris scilicet honestis, qui in vicinia habitant, ut quam velint tam pos-

ſint veritatem eruere; audiunt hi teſtes, indicia, præſumptiones &c. quæ coram judicibus diſcutiuntur, ut eò certiores reddantur, quod & olim à noſtra Nembda fieri debuit. De iure novello ſtatutum eſt, ut ſi ad notitiam rei ſufficiant teſtes, Nembdæ inquiſitio ceſſet, tanquam ſupervacua. Deniq; in factum hi condemnant vel abſolvunt, quæ neceſſitas & noſtris incumbit. In eo tamen abit ius Anglicum à noſtro, quod in criminalibus omnes & ſinguli ſimul vel abſolvere debeant vel condemnare: Maioribus verò noſtris placuit abſolvi vel condemnari, non præciſè quem omnes, ſed quem maior pars Nembdæ abſolverit vel condemnârit: Itaq; ſeptem ſuffragiis reus vel vincit vel vincitur. Si autem paria utrinq; fuerint, in meliorem partem inclinat ius noſtrum, & abſolvi reum quam condemnari, humanius exiſtimavit. Ad abſolvendum vero vel condemnandum in Anglia neceſſitate compelluntur, atq; eousq; famelici & quaſi captivi includuntur, nemine intromiſſo, donec alterutrum fecerint. Noſtris non ea quidem eſt neceſſitas aut coactio; differre enim cenſuram licet ad proximam juridicam, eâ tamen conditione, ut tunc præciſè, aut

ſen-

1, 4, de Nembdæ constitutione & officio.

ſententiam proferant, aut pœnam pecuniariam ſuſtineant, cauſæ cognitione ad alios devoluta. In Anglia verò hi duodecim viri ordinarij & ſtati non ſunt, itaq; ultra trium cauſarum cognitionem non tenentur, quemadmodum olim nec apud nos aut in Dania; ut minime dubium ſit eadem prorſus jura eſſe & à Schantianis originem traxiſſe.

Hodiernum Nembdæ officium.

Quia autem Nembda noſtra hodierna ſtata & ordinaria eſt, officium ejus applicatum eſt ad alia, partim ex jure, partim ex conſvetudine. Ex jure adhibentur ad executionem decretorum judicij, ad inſpectionem terminorum, ad æſtimationem pretij, damni, lucri, &c. quibus judici aliquando etiam interdictum eſt intereſſe. Dabantur aliquando ex his pacificatores petentibus, quod & hodie ſalubriter fit, quâ ratione multas ruſticorum lites celerrime finiri conſtat. Atq; hâc ratione arbitri eſſe poſſunt, quomodo jus Weſmannicum appellationem ab ipſo judice ad Nembdam conceſſiſſe arbitror, tanquam ſi à ſtricto jure aliquando ad æquitatem aut arbitrium bonorum virorum provocare liceat, quod tamen de nullo reliquo jure fieri potuit, ratione

ſane potiori. De jure tamen Oſt-Gothico etiam teſtes ſunt de judice & actis ejus. Iudex vero de ipſis viciſſim teſtari non poteſt, verè an falſò jurent: qualicunq; enim eorum aſſertioni ſtandum eſt & judicandum. Si tamen evidenti argumento falſum juraſſe convincantur, (id quod de jure Danico, non judex, ſed Epiſcopus provinciæ & alij ejusdem probi & cordati viri; de jure Gothico verò ſuperius judicium cognoſcere debebant:) mulctantur in bonis, de cætero perjuri & inteſtabiles. De cõſvetudine verò hodie Nembda ex officio judicis participat, confuſis enim officiis ſimul de facto & jure cognoſcunt & dijudicant tanquam Aſſeſſores, judice tantùm præſidente, itaq; vota ipſorum & ſuffragia vel ipſe judex de jure colligit vel iudex facti, qui unus eſt ex Nembdariis & proprie ab ipſis iudex nominatur, cum iudicem de iure, iuris tantum ac legis lectorem nuncupent. Hic tam de iure quam de facto diſſerentes audit, & ut evitetur omnis oblocutio & confuſio, ſententias eorum placide in iudicium profert, ex quibus iudices ut plurimum pendent.

Cap.

1, 5, De actoribus et reis.

CAPUT V.

De *Actoribus & Reis.*

ARGUMENTUM.

PErsonæ litigantes. Actores ordinarii tres. Primus causæ possessor. Alius inquisitor Regius. Tertius inquisitor communitatis. Nomina & jura singulorum.

POst judicem & Nembdam de partibus litigantibus dicendum est, actore scilicet & reo. Sed de reis pauca, neq; enim illi ordinarii. Plura de actoribus qui ordinarii & stati fuerunt. In omni enim actione, ubi de damno aut iniuria quacunq; agitur, pœna à iure pecuniaria imposita fuit, cuius partem actor, partem Rex, partem territorium sibi vendicabat, quod & hodie fit, idq; ex vetustissimo iure. Tacitus enim de moribus Germanorum hoc tangit, *levioribus* inquit *delictis pro modo pœnarum, equorum* „ *pecorumq; numero, convicti mulctantur, pars mulctæ Regi* „ *vel civitati, pars ipsi qui vindicatur vel propinquis ejus ex-* „ *solvitur.* Hoc ergo est, quod ferme hodie igno- „

rant Germani, apud nos vero à vetustissimis seculis observatum fuit, ut sine tripartitæ huius divisionis mentione nullum fere in iure nostro caput, sine eius usu nullum fere iudicium habeatur, quia ergo ex una causa tot creditoribus debetur, tot etiam ordinarii fuerunt actores.

Primus is quem causa proxime tangebat, læsus vel passus aliquid in se vel suis, circa res, corpus, famam aut vitam, qui ob id ipsum solus vel κατ᾽ ἐξοχὴν causæ possessor dicitur, **Måhlsågande.** Alter actor vel inquisitor Regis, qui id quod Regis erat circa causam persequebatur, ob id ipsum dictus **Konungz Socknare/** & tertius actor communitatis sive territorii, qui ius territorii urgebat, **Håradtz Socknare/** ita enim in iure vetusto nominantur.

Målzågande.

Konungz-Socknare.

Håradz Socknare.

Hos tres quoscunq; delicto reus offendisse existimabatur, primario quidem, & principaliter atq; re ipsa, causæ possessorem; Regem vero prævaricatione vel transgressione legis; civitatem vero vel communitatem exemplo. Contra vitam enim, famam, salutem, vel bona aut commoda proximi peccatum fuit, contra interdictum legis & regis, contra quietem & concordiam civium.

Hi

Hi tres ergo placandi erant, his tribus ſatisfaciendum, quorum primus quod ſuum & primarium, reliqui duo quod publicum erat, quærebant. Atq; hic alter alterius jus tollere non potuit, quamvis ſuum remiſiſſet, itaq; ſuper quolibet delicto, damno vel injuria, ex quo pecunia debebatur, paciſci licuit, ſine alterius tamen præjudicio, cui jus ſuum auferri non potuit, quod alioquin & hodie de jure communi obtinuit, ſed in cauſis gravioribus, leves enim transmittuntur, ſed & olim quoq; cauſæ leves quædam transmiſſæ ſunt. Ante tempora Bergeri Iarli juris erat, ut actor ſemiſſem ſibi jure debitam remitteret, ex altera ſemiſſe dimidium ipſi, & quadrans Regi, quadrans territorio cederetur, in cauſis, ut dixi, tantum levioribus. Correxit autem illud Bergerus Iarl, ad hunc modum, ut ſi modo, exempli gratia, in injuriis realibus vulnus, nævus aut cicatrix appareret, ſalvum eſſet fiſco regis & territorii, jus ſuum ad perſecutionem integræ mulctæ legibus decretæ, quidquid tandem actori placuiſſet. In cauſis autem gravioribus hic ordo fuit: primum agendi jus læſo dabatur, aut quicunque ei proximus eſſet: ſecundum procuratori Regis: poſtremum

universitati. Remittente aut desistente primo, jus secundi & tertij sublatum non fuit, nisi reus causam adversus primum actorem obtinuisset judicialiter, tunc enim adversus reliquos duos vicisse judicatum fuit, neque enim ulterius dabatur illis eo nomine actio, sed non vice versa; Rege enim & universitate paciscente (quod sæpè factum) super crimine aliquo, vindicta tamen actori concessa fuit. Hodie de jure communi in certis causis, præcipuè homicidii voluntarii, Rex & universitas efficaciter pacisci non possunt, in præjudicium primi agentis, cujus postulationi ius suum denegari non potest, quandocunque ei insistit, nisi dato salvo conductu reus se iudicio stiterit : & vicissim, si in flagrante crimine reus deprehenditur, causæ possessor & universitas in præiudicium Regis pacisci non possunt, ut non liceat pœnam quam iura imponunt, capitalem exigere. In levioribus autem causis, quod & ante dictum, hoc adeò strictè observatum non fuit; leviores autem habitæ sunt causæ, quæcunq; essent infra marcæ pretium, illas enim concessum fuit reo, etiam septem oris redimere, ne scilicet cogeretur sacramentales præstare, & periculum tripl[i]ca-

1/5, De actoribus & reis.

plicatæ mulctæ subire; sed si triens in octavam esset, ius Regi & universitati acquisitum fuit: år ortugh a ottunda öre/ giälda bade Karle och Konungar.

Ceterum cùm olim agerent hi, nonnisi civiliter, id est ad pœnam tantùm pecuniariam, ut quis prior erat in agendo, ita quoque in mulctæ participatione præferebatur; quod probè observatum fuit, præsertim si reus non esset singulis solvendo, principali enim in solidum solvi debuit, pro rata Regi & territorio decessit, quamvis aliquando etiam actori pro ratâ decederet, sed raró. Si vero nihil prorsus in bonis condemnatus habuit, in operas & labores tenebatur, primum actori, ac deinde Regi, non habito respectu ad jus territorii, tanquam ab eo remissum esset. remittere etiam actori licet, sine præjudicio tamen Regis, qui jus suum ad operas nihilo-minus persequi potest: sed actore & Rege ab actione cessantibus, præsumitur communitatis territorium jus suum, vel, ut dixi, remisisse, vel nullum habuisse.

Hi actores primitus, quod & ante dictum, quæsitores seu inquisitores dicti fuerunt, So- Sorkuara

Läudmän.

ckuare/ quod jus quisque principalis sui quæreret & persequeretur. Successu autem temporis Låndz-mån dicti fuerunt, sive quod in provinciis agerent, & negotia Regis aut territorii procurarent, sive potius quod eis præfecturæ datæ essent, quæ nostra voce Låhn etiam hodie dicuntur, cum olim eo nomine nonnisi feuda dicerentur. Hinc passim in jure communi procurator sive quæstor regius, Konungzlåndzman/nuncupatur. Vir fuit magnæ authoritatis, cujus locum & officium sustinent, qui præsides provinciarum nominantur; In Daniâ tamen nomẽ pristinum adhuc retinent. Horum curæ commissum erat, ne quid contra leges & edicta Regis peccaretur, præcipuè verò ad jura fisci attendere, & pro pace publicâ & securitate cujusque domesticâ invigilare. His permissa exaggerandi, & aliis non concessa, sibi-ipsis contradicendi potestas, offthalu och Twetahlu. Territorii vero sive hæredarum qvæsitores, etiam sic dicti fuerunt, sed hæredarum tantùm sive centuriarum, Håradzlåndzmån: Singulæ enim hærædæ sive communitates singulos habebãt, prout & hodie habent, quorum officium erat jura territorii tueri & persequi, ut alteri illi Regis. Reditus

1, 5, De actoribus & reis.

tus tamen quos per ejus procurationem universitas capiebant, duumvirûm custodiæ commissi erant, quorum alterum ex equestri ordine, alterum ex plebe eligebant, executores sententiæ, sive potius exactores, quibus pro labore quincunx dabatur. Horum opera hodie etiam ad alia usui est, præcipue vero succenturiantur Regiis istis, eorum plerumque vicarii aut ministri in negotiis coronæ ad plebem expediendis, aut sententiis judicum executioni mandandis. Habebant & olim quadrantes suos inquisitores, **Fiärdingz Socknare/** qui postea etiam ad alia negotia adhibiti fuerunt. Nihil enim hodie aliud fere sunt quam indices præfecti mandatorum & directores commeantium, **Fiärdingzmän/** de quibus & obiter ante. Habebant & olim Episcopi suos inquisitores, sed sub Papatu, cum jurisdictio eorum amplior esset, **Biskopz Sochnare/ Biskops-Ländzmänn/** hi enim inquirebant in causas fori Ecclesiastici, & mulctam Ecclesiæ aut Episcopo debitam exigebant. In universum inquisitores hi hodie Fiscales nominari cœperunt, quod eorũ opera ad fisci sive ærarii reditus præcipue dirigatur.

Fierdingz-Socknare.

Biskopz-Socknare.

Fiscales.

 CAP.

CAPUT VI.

De

Citationibus & parendi contumacia.

ARGUMENTUM.

Citatio ad judicium. Citatio duplex, qua omnes & qua singuli citantur. Citatio sive denunciatio ex suggestu. Citatio per baculum nunciatorium. Baculus nunciatorius qualis. Actori citare licuit & quomodo. Quandoque etiam judicium indicere. Contumacia & ejus pœna. Procuratores raro admissi, quibus in casibus, & sub quâ conditione.

POst personas judicii litigantes & judicantes, de eo quod inter illos primũ intercedit negotii, dicendum est, de citationibus scilicet, quibus ij quorum interest, ad judicia convocantur.

Citatio duplex. Citatio è suggestu seu intimatio.

Citatio olim duplex erat: altera qua omnes, altera qua singuli ad judicium vocabantur. Illa qua omnes, duplici vicissim modo fiebat, vel per intimationem sive denunciationem è suggestu, quomodo ordinarie una ante septimana ad judicium infimum, duabus ad superius provinciales, & sex ad judicium summum regium vocabantur. Conveniebant autem præter judicem, Nembdam

&

1, 6, De citationibus et parendi contumacia.

& partes litigantes, etiam quorum non intererat, è quolibet scilicet provinciæ quadrante ad minimum sex, facto ad singula familiarum capita circuitu, idque ex præscripto legis ad frequentiam & authoritatem judiciis conciliandam, ne viderentur fora deserta, seu ut ius nostrum loquitur, **at Rätten ey nederfaller.**

Citatio altera facta est in causis ordinariis per baculum, quem maiores ob id ipsum vocabant, baculum notitiæ vel baculum nunciatoriũ, **Budkafla.** Hunc iudex nota utrinquè inustulata emittebat singulum singulis territorii quadrantibus, ut per manus vicinorum extraditus, & facti notitiam simul & comparendi mandatum circumferret, quomodo non judicia tantum, sed & promiscue omnes conventus publici indicti fuerunt, ubi de casu aliquo extra ordinem deliberandum erat aut judicandum. Erat autem hic baculus nunciatorius effectus ad modũ rei quam præsentabat, de quâ in conventu tractatio instituenda fuit; ut si res sacra, crux lignea: si homicidium, ligneum telum aut securis emitteretur.

Citatio per baculum nunciatoriũ.

Budkafla.

Citationem quâ partes litigantes vocabantur, rarò judex ipse edebat, sæpius actor ipse,

Citatio actori concessa.

præ-

præcipue cum citationes ejusmodi non per ſcripturam, ut hodie, ſed teſtes fierent: Itaque actor ipſe ad domum rei cum binis teſtibus veniebat, dicam & diem dixit. Hæc citatio de jure valuit, ſi modo, non cum teſtibus tantum, quod jam dictum, ſed & luce clarâ fieret, intra ſolem orientem & occaſum, ſecus facta illegalis erat, & nullius momenti. Ut autem citare ita & judicium indicere videtur licuiſſe actori, non illud tamen in quo merita cauſæ utrinque deducta fuerunt, ſed inchoatorium tantum, in quo lis conteſtata fuit, ſtipulatio de ſacramentis & probatione facta, & cætera præliminaria jacta ad futurum proceſſum, qui quinque poſt dies cœptus fuit, idque de jure Gothico præcipue, Norvegico & Scanico, unde judicia hæc ab intercedente numero dierum quinario **Fåmpt** dici puto, ut ſupra dictum, unde hæc ſemper conjunguntur, **Ståmma Ting och ſåttia Fåmpt/ Domare ſkal Fåmpt låggia/ tree Ting och tree Fåmtar**/ſivè ut alibi **tree Maalting och tree Fåmpter.** Tot enim conſeſſus fuerunt, etiam ob unam cauſſam, niſi interea terminari poſſet, tertio enim ordinarie terminari debuit, quamquam interdũ etiam quartus ex abundanti

concede-

1, 6, De citationibus et parendi contumacia.

concederetur ſummus & nltimus, Liongating & Liongatingz ſämpt à loco dictus : illud enim nimiæ libertatis indicium, conceſſa toties impunitas non parendi, nec enim trinis judicij conſeſſibus, imo nec quarto quidem pœnam perditæ cauſæ contumax meruit. Saltem ad domum ejus judicium datum eſt, ut ſi nec tunc quidem compareret, pretium cauſæ ex bonis ejus emenſum ſequeſtraretur, donec tres viciſſim juridicæ præteriiſſent, ut niſi interea comparuiſſet, ſeptima demum in totum cauſa & emenſo caderet, cum pœna etiam aliquot marcarum quæ **lych taran** dicta, quaſi legitime emenſum & ablatum vi recepiſſet, cum tradere noluiſſet.

Illud tamen nec commemoratione nec commendatione fortaſſe indignum, quod citantibus & citatis in perſona comparendi neceſſitas, nec in criminalibus tantum (quod & hodie obtinet) ſed & civilibus, procuratores & advocati hic prorſus ignoti, nec ad extremum admiſſi, niſi pro certis perſonis & certis in cauſis, & ſub certa etiam conditione. Conditio autem hæc fuit, ut principalis ipſe eos in judicio ſiſteret & conſtitueret, neceſſitate ſua & cauſa abſentiæ approbata, de qua

mox. Sic autem constituebat, ut alios vicissim, quod hodie concessum, ipsi substituere non possent, hoc enim expresse vetitum. His autem solis habere permissum fuit, qui vel peregrini & linguæ morumque ignari essent, vel peregrè profecturi, vel procul habitarent, vel ægrotarent. Illis solis per alios agere concessum, sed in certis causis: Omnes enim criminum & de fundis controversiæ exceptæ fuerunt, ut quod de jure novello per expressum in causis soli & prædiorum permittatur procuratorem habere, modo eundem plenipotentia, sigilli manusq; suppositione roborata, instruat, indicio est, id antea non licuisse.

CAPUT VII.

De

Modis veterum probandi res dubias, & in specie de duello, seu Monomachia, Eenwigh.

ARGUMENTUM.

Via majorum pro indaganda veritate facti. Duellum judiciale, ejus origo & latitudo. Qvibus in causis admissum. Qvibus conditionibus & modis. Qvando & qvare sublatum.

Hacte-

1,7, De modis probandi; de duello.

Hactenus personæ & præparatoria judicij; nunc modos excutiamus, quibus usi sunt majores nostri ad res dubias probandas. Veritas enim judicii anima est; *Veritas & rectum custodient judicium tuum.* Veritas rei est, rectitudo juris, hanc ex præscripto juris, illam extrinsecus habere oportet, nec semper facile est veritatem rei & facti invenire, ubi confessio aut testes desunt. Itaq; ne causæ propterea diu protelarentur, aut etiam prorsus indecisæ manerent, varios modos legitimarunt, quibus veritas rei exploranda committeretur. Inter hos vero duellum antiquissimus est, prope à barbarie & ante Christi fidem; cum Christianismo verò alter susceptus, per contrectationem ferri igniti. Tertius vero & novissimus, per sacramentales purgatio sive probatio canonica, de quibus singulis ordine aliquid dicendum est, ac primo de duellis, eorum origine, latitudine, quibus in causis usurpata, quomodo, quando deniq; & quare sublata desierunt. Fuit autem Monomachia seu duellum (eenwig majoribus dictum) duplex. Conventionale, ubi partes litigantes inter se de armis, loco, tempore, modo pugnæ conveniebant, absq; requisitione vel scitu judicis aut magi-

ſtratus ſuperioris, qualia hoc ſeculo fuerunt diu vetita, ſemper tamen retenta ; Et judiciale, de quo hoc loco agimus, quod deficientibus aliis vel plenis probationibus partes eo pacto inierunt, ut victor, ipſa victoria legitime ſuam intentionem probaſſe judicaretur, fine liti facto. Duelli originem Galli Normannis, Itali Longobardis, Hiſpani Gothis imputant. Sed veriſſimum eſt jura eorum latius viguiſſe, quam ut ſolis Scantianis tribuantur. Vellejus Paterculus memorat eorum uſum in Germania tempore Cæſaris Auguſti, & exiſtimat Qvintilium Varum Romanorum legiones ex eo perdidiſſe, quod homo ingenio miti & moribus quietus, in media conſtitutus Germania, putaverit armis apud eos decerni ſolita, jure potuiſſe terminari. Nec deſunt ejus rei illuſtria in Germania exempla, etiam poſtquam religionem Chriſti accepiſſent. Gunnila Imperatoris Henrici III. conjunx ſic pudicitiam ſuam per ſubſtitutum ivit probatum : Et Carolus Rex, patruus Lotharij Imperatoris, fidem conjugis Theitebergæ tentans, alterum ſuo, ut actoris, alterum uxoris nomine, ut reæ, inter ſe duello commiſit, ex eventu pugnæ habiturus pudicitiæ argumentum. Et

Ottho-

l. 7. De modis probandi; de duello.

Otthonis Magni tempore litem inter patruum & nepotem de ſucceſſione Imperator ipſe judicio armorum commiſit, quod & ſub Henrico primo notant eveniſſe. Nec mirum, cum leges duellares jure Saxonico dudum receptæ eſſent, & ab imperatoribus approbatæ. Quare noſtrates quidem morem duellandi judicialem aliunde invectum putant. Olaus Petri refert ad Frodeum pacificum Danorum Regem, Frode hin fridhgode. Sed ſive nos à Germanis aut Danis, ſive illi à nobis, communem certe cum illis habuimus, nec dubium eſt quin in Galliam & Angliam Normannni transtulerint. Apud nos antiquiſſimis temporibus magis ad contumelias & exprobrationes imbelliæ & ignaviæ vindicandas directa fuerunt, quam ad res dubias explicandas, ut patet ex lege, quæ extat ad finem juris Uplandici in hunc modum:

" Gifwer madir oqwädins ord manni: tu är ey
" mans maki/och ey madir i brysti. Ek är madir ſom
" tu. Ther ſkulu mötha/ a trigga wägha mothom.
" Komber dhen ord hafwer gifwit/ och dhen komber
" ey dher ord hafwer luthit/ tå mun han wan wara/
" ſom han heiter/ är ey edhgånger och ey wittnes-
" bähr/ hwarti firi man eller konu. Komber och

„ dhen ord hafwer lutit/ och ey dhen ord hafwer gif-
„ wit/ tå opar han treeNidingz op/och marcker han
„ a jordu. Tå see han madir thes wårre/ thet ta-
„ lade han ey hålla tordi. Nu møthes ther badir
„ med fullom wapnom/ faller dhen ord hafwer lu-
„ thit/ giälder med halfwom giäldom. Faller dhen
„ ord hafwer gifwit/ glöpa orda wärster/ tunga
„ husfwudbani/ liggi i ogildum akri/ id est,ut verbũ
„ verbo ferè reddam. *Si dicat vir viro probrosum ver-*
„ *bum: non es vir viri compar, aut virili pectore* (animo):
„ *ego vero sum vir* (inquit alter) *qualis tu. Hi in trivio*
„ *conveniunto. Si comparet provocans, nec provocatus; ta-*
„ *lis esto* (provocatus) *sequior ut dictus fuit, ut qui nec pro*
„ *fœmina nec viro sacramentalis esse queat, intestabilis: Si*
„ *vero comparet provocatus, nec provocans, quàm vehemen-*
„ *tissime trino immani clamore exclamet, & signum in ter-*
„ *ra radat, & sit vir ille* (provocans) *eo deterior, quod ver-*
„ *ba locutus est, quæ præstare non ausus sit. Si jam uterq; com-*
„ *parent, justis instructi armis, & cadat provocatus, dimidio*
„ *mulctæ pretio* (cædes) *expiator, Si vero provocans ca-*
„ *dit, imputet temeritati. Capitalis ei lingvæ suæ petulan-*
„ *tia, jaceat in campo inexpiatus*, id est, cæde prorsus
impunita.

Talis antiquissima lex: posteà verisimile est
(nam

(nam nullæ manifestæ nobis de eo leges) ad causas promiscuè omnes duella fuisse admissa, nec ad facti tantum, sed & juris quæstiones decidendas, ut ex exemplis supra memoratis patet, ideoq; quæ rudia initio fuerunt, expoliri cœperunt, & certis circumscribi conditionibus, ut esset in eo quod in se non poterat non esse injustum, justitiæ tamen aliqua ratio, neq; enim quemvis cum quovis aut quandocunq; vel quomodocunq; prout hodie sæpe casu fit, congredi sinebant: sed judex determinabat locum, tempus, arma: Patrinos & campiones partes eligebant. Locus non trivium aut bivium erat, sed quilibet alius congressui aptus, in quo circulum designabant: quem postquam pugnaturi ingressi erant, egredi nisi victori non licuit. Temporis electio sæpius reo permissa fuit, quanquam ejus arbitrium interdum etiam penes patrinos esset vel secundos, uti vocant, qui præterea & arma præscribebant, & certaturos ante pugnam excutiebant, ne quis fraudibus foret locus ex armorum imparitate. Sed & campiones etiam concessum fuit adhibere, ut si litigantes valdè impares essent, vel viribus, vel ætate, vel dignitate, nefas enim robustum cum invalido, minoren-

nem

nem aut ſenem cum juvene, virum cum fœmina, nobilem cum ignobili, aut in dignitate aliqua conſtitutum, cum homine ſtatus & conditlonis louge inferioris componi. Præcones vero judices emittebant, qui partes ad conſtitutum locum & tempus in arenam citarent. Principes & viri illuſtres fæciales cum cartello mittebant, quod etiamnum hodie privati faciunt, quibus hoc judicii genere litem terminari honorificum videtur, de quibus omnibus quia nihil jure noſtro vetuſto præceptum extat, prolixius referre ſuperſedeo: hoc ſaltem addito, principibus etiam & regibus quandoq; hoc proceſſu uti placuiſſe, quibus ſatius viſum fuerit litem proprio periculo caſu alterius terminare, quam ſubditum ſibi populum bello implicare, quomodo Franciſcus primus Galliæ Rex Imperatorem Carolum V. & noſter Carolus IX. Chriſtianum VI. Daniæ Regem provocarunt, de quorum duellandi jure dubium eſſe non poteſt, ſiquidem belli juſtum eſt, tanto majore laude & gloria digni, quanto magis humano ſangvini parcendum exiſtimarunt, quamvis ad effectum vel finem quem ſibi propoſitum habent, hâc via raro perveniant. Pauci enim

Roma-

Romani & Albani, qui Horatiis & Cuiaciis rem ita committant, ut ab eorum victoria aut casu vel imperium accipiant vel jugum. Non desunt tamen qui etiam hodie inter subditos alienæ potestatis in certis casibus & inter certas personas admittendum censent, præcipue ubi metus majoris mali subest: quemadmodum & olim, postquam vetari cœperunt, in certis tamen casibus aliquandiu permissa fuerunt. *Incerti sumus*, inquit Rex Luitprandus, *de judicio Dei, & multos audivimus per pugnam sine justa causa suam causam perdere.* Sed propter contumaciam gentis nostræ Longobardorum legem impiam vetare non possumus, impiam certè; quid enim magis ab humanitate alienum videtur, quam cum rationem & judicium nobis dederit Deus ad discretionem veri & falsi, justi & injusti, ad lacertos & robur corporis provocare, & fortunam rationi, servam dominæ, anteponere? Hoc enim belluarum argumentum & judicium est, ad quod homini tum demum confugiendum, cum alio uti non possit. Quare post Christi fidē & cultum humanitatis ubiq; ferè, quamvis ægrè, sublata sunt. Haraldus, Svenonis Estricij successor in Dania, *funditus singularium congressionum usum ever-*

tisse dicitur *Saxoni Grammatico*, & apparet id paulo post in Svecia & Norvegia factum, nullæ enim deinceps de duellis leges, quamvis in cæteris favor eorum ubiq; appareat, ad quid enim ut homicidæ provocati mitiore fruantur conditione, quam provocantes? elapsi, quã in flagranti crimine apprehensi? Certè si primas quærentium manus evadat homicida, de cætero securus videtur, præbente lege salvum conductum, etiam antequam petatur, cum tamen delictum utrobiq; æquale sit, solo tantũ casu & fortuna distingvatur. Quid? quod fugitivi, quasi ad cædem parati, in majore dolo videantur? Quod & de provocatis dicendum est, qui non subitaneo animi motu, sed parati & præmeditati conveniunt, cædem facere aut pati, idq; ideò, ne imbelliæ aut ignaviæ arguantur, quod opprobrium homicidio ipso gravius existimant, vanitate quadam juvenili, vel potius errore judicij, quem nescio quomodo leges nostræ fovent, dum temeritatem & pugnandi libidinem, in duello, tanquam palæstra ad bellum, mitius puniunt, nec fugitivis portas claudunt. Quid ergo aliud est, quam ut audacia & celeritas hæc pro solertia & exercitio militari habeatur, cujus ne quidem in maleficiis fructum perire voluerunt.

1, 8, De ordalio ferri igniti.

CAPUT VIII.

De
Ordalio *sive contrectatione ferri igniti.*

ARGUMENTUM.

ORigo Ordalij. *Ejus incrementum & latitudo.* *Causæ* Ordalio *subjectæ & necessitas.* *Diversitas modorum probandi per* Ordalium. *Locus probandi.* *Tempus.* *Finis & effectus.* *Quando* Ordalium *abrogatum & quibus de causis.*

FUit hic primus probandi modus militaris. Successit cum Christiana religione alius & quasi sacer, non melior aut certior, etiam periculosior, per contrectationem ferri igniti, quæ majoribus nostris Järnbyrdh / portatio vel gestatio ferri; Legibus West-Gothicis & Scanicis *Ordalium*, id est, judicium κατ᾽ ἐξοχὴν, vel judicium Dei dictum fuit, de cujus origine, incremento, modo, loco, tempore & fine, jam porro dicendum. Ordalium Järnbyrdh.

Origo ejus apud nos non obscurè à religione cœpit. Poppo enim, qui primus in Boream ad verbi Divini plantationem venit, in præsentia Ejus origo.

Erici, Sveciæ & Daniæ Regis, injectâ manui chirothecâ ferreâ ignitâ, dubiam populo doctrinæ veritatem sic approbavit. Inde factum est ut deinceps in omni re dubia ad ejusmodi Dei testimonium provocaretur, & mos iste in legẽ abiret, quæ talis extabat: **All dulzmåhl ståndi til Järn och Gudz domb/ warder han skiär at järni/ wari frij/ men brånner at järni/ wari fälter.**: id est, *Res dubiæ stent ad ferri & Dei judicium, si non uritur à ferro, innocens: si uritur; damnas esto.* Ex eo usu venit ut omnia vera signa, olim ferri signa dicerentur, non secus ac hodie prodigia & ostenta eo nomine insigniuntur. Sed ut ut sit de ejus apud nos origine, constat tamen ante per totam ferè Europam usum ejus fuisse. Imo non desunt, qui ad vetustissimos Græcorum reducant ex Sophoclis tragœdia, ubi custodes se Regi Creonti sic excusant: *Sumus parati ferrum candens manibus tollere, per ignem serpere, Deosq; adjurare, nec fecisse, nec fuisse conscios.* Et refert Theodoretus in primitiva Ecclesia orthodoxorum quendam Episcopum cum Arriano contendentem hoc argumento usum esse. Certe apud Gallos fuisse tempore Caroli Magni, lex Salica evincit: apud Germanos, jus Saxonicum. Nec desunt

Lex *Ordalij*.

Järntecken.

Ejus latitudo.

1, 8, De ordalio ferri igniti.

desunt ejus rei illustria documenta & exempla in Italia & Anglia. Pontifex ipse Romanus testatur in Livonia fuisse, & Magistratum de crimine aliquo suspectos coëgisse ad ferri candentis judicium, sumpsisseq; de illis supplicium, si qua seqvuta esset adustio. Fuit ergo ubiq; in aliquo usu.

Ceterum apud nos omnis controversia hoc judicio probari, poterat, controversia tamen facti, non juris, sive illa status esset, sive criminis alicujus, ut furti, adulterij, veneficij &c. Hoc autem observatum fuit, ut quamvis actor ad probandum non teneretur (nec hodie quidem jure communi tenetur, quamvis aliud in praxi ex æquitate observetur) ad jurandum tamen teneretur de calumnia & malitia, quod nec lucri nec odij causa tantum reo criminis impingeret & periculi. Quod juramentum tamen non alias præstandum fuit, quàm si sponte reus judicium ferri candentis elegisset, dicebatur **a sworin Eedh**. Si vero ad Nembdam vel compurgatores reus (quod in ejus arbitrio fuit) provocasset, & ab iis destitutus ad hanc ferri candentis necessitatem compelleretur, remissum fuit actori calumniæ juramentum, perinde uti reus etiam sponte remisisse videbatur, cum actore

Controversiæ facti in *Ordalium*.

Juramenta circa *Ordalij* causas.

 non

non præſente, de innocentia, judicij hujus aleam confeſtim expoſceret.

Præterea reo neceſſitas impoſita non fuit contrectandi ferri, præcipue in homicidiis, niſi poſtquam depoſitione teſtium convictus eſſet. Videtur enim contra teſtes hic probandi modus fuiſſe admiſſus, tanquam ultimum illuſtrandæ veritatis remedium. Licebat alioquin reo ſe triplicato ſacramentalium duodenario purgare & tueri. Si tamen aliquos inveniiſſet reus compurgatores, non verò tot, quot in plena probatione requiruntur, cadente ad ferrum cauſâ, præſtandum erat jllud, ab actore, quod diximus, credulitatis juramentum.

Probatio per *Ordalium* reis tantum conceſſa.

Illud præterea obſervatione non indignum eſt, quod tantùm reis hæc miſera defenſio relicta eſſet, nemo enim actor tanto cum periculo hoc onus probandi ſponte eligeret, cum nec ad alias quidem probationes, imputando alicui crimen, adigeretur, ut modo dictum. In quæſtionibus tamen ſtatus cum petitione Regni conjunctis, actores etiam periculum fecerunt; tanti enim regnum ejusq; hæreditas fuit. Sic Haraldus Gille, poſtea factus Norvegiæ Rex, cum ex Hibernia veniſſet,

 2,8, de ordalio ferri igniti.

nisset, & se stirpis regiæ, regniq; Norvegiæ hæredem asseruisset: *Affirmationi suæ fidem*, inquit Saxo Grammaticus, *divini examinis argumento præstare jussus, super candentes laminas, nudatis plantis, incessit, iisdemq; nulla ex parte corruptioribus, complures liquido incolumitatis argumento ad assertionis suæ credulitatem perduxit.* Idem & plures Norvegiæ Reges tentarunt & præstiterunt, utpote, Sigurdus Diaconus, Ostanus, Ericus Erlingus **Steenwägh**/ Magnus & Haqvinus Haqvini filius, quorum primus ille, Telemacho Homerico multo confidentior, qui interroganti Nestori *cujus filius esset*, respondit, *se quidem U-* „
lyssis filium dici, ceterum neminem esse qui certum de patre „
suo sciret, ita patrem suum probare non dubitabat; „
posterior vero hic prudentius negotium ad matrem rejecit.

Locus autem experimenti ordinarie locus judicij fuit: Omnis enim probatio in judicio fieri debuit. Postea tamen usu venit, ut quod in duellis planities, aut trivium esset, in probatione ferri templa & loca cultui divino consecrata forent, à rei enim dignitate visum, ut quia solius Dei testimonium eligeretur, etiam coram magno hoc teste in locis sacris & sede ejus res tota peragere- tur,

Locus contrectandi ferri,

tur, faciente vel metum vel fidem, præſentia numinis, cujus intuitu aut debitas luerent temeritatis pænas, aut ſupranaturale fiduciæ haberent argumentum. Itaq; Epiſcopi hic ut plurimum præſidebant, nec defuit illis operæ & laboris pretium, ſemper enim ab ejuſmodi judicio aliquid lucri ſacerdotibus obveniebat, quod inter ordinarios clericorum reditus poſtea receptum eſt.

Tempus contrectandi ferri.

Tempus autem ad probandum erat, quod ordinarium alias judiciis, itaq; expreſſe vetitum ne probationes hæ admitterentur ab adventu Domini ad octavam Epiphanias, nec à Dominica Septuageſimæ ad Paſcha, nec diebus rogationum aut ſeptimana ante Pentecoſten, aut ulla alia quæ diem haberet feſtũ, quem jejunium aliquod præcederet, ne ei videretur injuria per jejunium irrogari. Hoc tamen ſolum excepto, ſi rem à fure aut latrone ablatam condicere vellet actor, pro eo omni anni tempore, quod & ſupra dictum eſt, conceſſum fuit hoc examen, ne mora diuturnior in damnum & jacturam cederet exſpectantis.

Præparatio ad contrectationem.

Cum jam inſtaret dies probationis, triduo ante in pane & aquâ & veſtimentis laneis reo jejunandum fuit, quæ præparatio ab Eccleſiæ miniſtro

niſtro irrogata poſteà permanſit, cum ritibus quibusdam aliis quos ſuperſtitio adjecit, poſtquam Eccleſiaſtici hanc probandi rationem ſui juris feciſſent. Nam & Miſſa habita, & ferrum ipſum allatum eſt, & in præſentia ac conſpectu populi ab Epiſcopo aut Eccleſiæ Miniſtro conſecratum, ad hunc fermè modum: *Vellet Deus benedicere & ſanctificare illud ferrum à ſervo ſuo contrectandum, ut eſſet in cauſa N. N. ſalutare explorandæ veritatis inſtrumentum, ne iniquitas dominetur ſupra juſtitiam, ſed ut mendacium ſubjectum ſit veritati.* Tandem juramentum in hanc rem conceptum, vel à judice vel etiam ab ipſo actore, reo prælectum eſt, quo miſericordiam Dei & juſtitiam ad juris ſui manifeſtationem præſenti ſigno advocabat, & ſuper hoc deniq; ferrum ipſum portando & calcando contrectabat. Priuſquam vero contrectaret, nihil prorſus ipſum contingere fas fuit, nec caput, nec crines, nec aliquod veſtimentum, ne illita ungvento ſuccum aliquem manibus vel pedibus affricarent, quo per fraudem potius, quam innocentiam, eluderet efficaciam ignis.

Varij autem fuerunt modi contrectandi. Vulgatiſſimus, ut reus ferrum ignitum, quod in *Modi contrectationis.*

baculo allatum erat, nudis manibus ſumeret, & cum eo per novem veſtigia procederet, tum demum proijceret. In cauſa furti conſiſtebat reus & in alveolum, ad ſpatium duodecim pedum procul poſitum, ferrum ignitum proijciebat, eâ conditione, ut ſi ab alveolo primo jactu aberraſſet, ferrum iterum igniri, reaſſumi & proijci deberet, & toties quidem, quoties erraſſet, donec in alveolum immiſſum definito jaceret loco; hoc Tryggjárn appellarunt. Interdum non manibus ſed pedibus ferrum calcabant, interdum etiam pro numero veſtigiorum ferra multiplicabant, quod præcipue in cauſis ſtatus & homicidiorum factum fuit, ubi ordinariè duodecim ferra fuerunt contrectanda, aliquando tamen & novem, quot & lege Salica in homicidiis præcepta fuerunt. Haraldus Gille, cujus mentio facta, ſuper novem vomeres ignitos ambulaſſe memoratur; tam forti ſcilicet argumento opus erat, ut venienti ex Hibernia & ignoto cederetur regnum. In fidem narrationis noſtræ ſubjungimus modum hujusmodi proceſſus à Scriptore Norvegico, in vita Regis Erlingi Steenwäg/ his verbis è veteri Norvegico ſermone in Latinum deſcriptum & translatum:

1, 8, De ordalio ferri igniti.

latum. Erlingus Steenwägh *profectus* Tonsbergam *altera vice contrectationem ferri igniti stipulatus est, consecrante Episcopo* Nicolao *ferrum. Rex vero* Waldemarus, *qui ejus rei causa, eò venerat, concepit & prælegit juramentum, & modum contrectandi præfinivit, appropinquante verò horâ ad probationem constituta, Rex* Waldemarus *milites undiq; circum templum disposuit. Episcopus vero* Nicolaus *produxit* Erlingum *ante fores chori. Contrectatione jam peractâ, manum ejus nudatam elevavit & suos digitos imposuit, altâ voce clamitans* : ERLINGUS SE RITE PURGAVIT. *Rex extra fores chori astitit, & populus omnis ad vocem Episcopi Deo gratias agere, &* Te Deum laudamus *canere incipiebat.* Talis etiam processus Nidrosiæ observatus fuit, in probatione natalium Regis Haquini filij, proavi materni Magni Smekij.

Hic vero consideratione dignum, 1. Ad purgationem hanc, non secus atq; in Canonica, diem dictum fuisse, quem nisi reus ipse stipularetur, judex præscribebat. Erlingus hic sibi ipsi diem dixit, & Sigurdus quidam vir illustris, cum cædis suspectus esset, recepit coram Rege se judicium hoc subiturum. 2. Aliquando etiam liberum fuisse, alium suo loco substituere, quod & in duellis cum (Circa contrectationē observata.)

dispares essent litigantes, concessum diximus: Sed ita, ut cum ejusdem etiam periculo fieret, quamvis culpa alterius foret: nefas enim conditionem damnati recusare, cujus rei innocentiam temerè suscepisset probandam. Itaq; cum Margareta uxor Regis Norvegiæ suspicione veneni privigno dati gravata, Petrū quendā pro se adtulisset, isq; in contrectando sese vehementer exussisset, insuper ad aquas condemnatur & suffocatur, Regina ipsa supremam necessitatem celeritate fugæ anteveniente. 3. Interdum non tantum cum pluribus, sed & plura ferra fuisse contrectanda, prout aut magnitudo causæ, aut dignitas personæ id exegisset, id tamen penes judicem stetisse, nisi reus sibi ipse fiducia innocentiæ id definivisset. In supra memorata R. Erlingi historia Rex Daniæ sibi arbitrium pro numero sumpsit, **Konung Waldemar rådde för Järnbyrden/** id est, qvot laminæ reo contrectandæ fuerunt. In controversia vero status quæ mota fuit Haquino Haquini filio, nondum Regi, mater ejus probatura patrem, cum agnatis filij sui, **Daghfind Bonde**/Andrea **Skulderbandh** / & pluribus aliis clericis & laicis, ferri candentis judicium consulto elegit, intrepida

1, 8, De ordalio ferri igniti.

trepida subijt, & illæsa permansit. Quæ cum ita fuerint, subit hic admirari magnam hominum istius seculi seu confidentiam seu temeritatem, qui atrocitatem periculi & multiplicatione oneris & innocentium numero, accumulabant. Procul dubio aut integrius tunc vixerunt homines, aut libentius à litibus & mutuis accusationibus abstinuerunt, ante oculos quotidie versante tanti periculi & magnitudine & metu.

Ceterum contrectatione peractâ, Episcopus aut Præses eventum rei statim publicabat, quod tamen non semper aut ordinariè observatum fuit. Plerumq; enim absente adversario post contrectationem pedes aut manus panno involuti, sigillo apposito, per triduum, & ut plurimum usq; ad diem Dominicum astringebantur, quo majore pompa & spectaculo in præsentia tot testium nudari possent & inspici & prout tunc læsi illæsive reperiebantur, imputati criminis reus vel absolutus vel condemnatus. Adversarij autem adventus usq; ad solis occasum præstolandus fuit. Nisi interea venisset, ejus præcipue causa sigillum appositum fuit, ne quid interea adhiberetur quod vestigia ustionis tolleret aut obscuraret.

Post contrectationem observata.

Duratio hujus probationis.

Atq; hæc consvetudo & ratio probandi fuit per ferrum candens, quæ in Svecia & Dania sub Sveno-Otthone potissimum invaluisse videtur, „ cum *abrogata duellorum consvetudine , pleraq; causarum* „ *judicia* (teste Saxone Grammatico) *eo experimenti ge-* „ *nere constatura decernerent, controversiarum examen re-* „ *ctius ad arbitrium divinum quam ad humanam rixam rele-* „ *gandum existimantes*: Sed anno demum 1163, eas leges scriptas dedit Scanicis Waldemarus primus, quas Waldemarus secundus annis post circiter octoaginta abrogavit, ex decreto Innocentij III. Pontif. R. quanquam non is solus, sed & successores ejus abolitionem apud Reges Septentrionis valde urserint, cum antea Sacerdotibus interdixissent, ne ejusmodi examini operam darent, ne Clericus probationi huic ferri candentis ritum cujuslibet benedictionis aut consecrationis impertiret, ideoq; in legibus Cimbricis, quas Waldemarus Secundus tulit, nulla fit *Ordalij* mentio, quemadmodum nec in ullis nostris, nisi tantum vetiti, „ præterquam in West-Gothicis : **Delar Bonde** „ **sigh vnder Landzting/ säger sigh en lagfallin wa-** „ **ra/ ordelar han sigh innan näste try Landztingh/** „ **wari Saaklöös; gitter sigh en tå ordelet / hafwi**

Abrogatio.

åhnt

1, 8, de ordalio ferri igniti.

åhntå månada dag/ och deli sigh vndi högsti Domarin/ gitter han sigh ey tå / bôthi Saak sina: Sensus est, *dari reo tres juridicas & præterea menstruum spatium ad stipulationem defensionis ejusmodi coram supremo judice, & nisi interea stipulatus fuerit, causa cadere.* Cap. 17. **i Eedzöhres B. i Östg. L.** memoratur Bergerum Iarlum legem illam abrogâsse, **Nu wônis dhem Saak til dhera/ tå war swa förft i Laghum/ at thôni skulle wårja sigh medh Järn och Gudz dom/ sedan gaff Birger Jarl aff Järnsbyrdena etc.** Idem constat ex jure Helsingico, filium ejus Magnum **Ladulåås** & Nepotem Bergerum fecisse. Sed non ut edicto, ita statim usu tolli potuit, quod Religione sancitum à tempore robur acceperat, præsertim cum Deo judice causa omnium optime decidi putaretur. Itaq; de novo Holmiæ Anno 1320 sub regimine Magni Smekij unanimi senatorum Regni decreto iterum proscripta est, & in totum sublata, ejusdemq; loco recepta, Nembdæ duodecim viralis declaratio, etiam ante vulgarem probationem usitata. Fuisse enim videtur quædam quasi inconstantia vel vicissitudo modorum probandi, cum modo hunc, modo illum præferrent, in neutro certi aut securi,

quod

quod perinde etiam apud Danos factum. Haraldus enim qui vixit à nato Christo 1083. *primus*
„ dicitur Saxoni Grammatico, *permisisse reis juramento*
„ *se tueri, quo nomine, quanquam acceptus feratur populo,*
„ *qui minus periculi ex perjurio formidaret quam ex ferro, ta-*
„ *men gliscente perjuriorum frequentia, revixit iterum*, in-
„ quit, *ferri candentis usus, ea tamen conditione, ut esset in*
„ *arbitrio Rei ad ferrum provocare, vel juramentum Nembdæ,*
„ *sed si altero destitueretur, ut alterum subire necesse haberet,*
„ *aut causa cadere*, ut supra dictum. Mansit hoc usq; ad Waldemarum III. qui σύγχρονος fuit Magno Smekio, cujus tempore, Pontifice Eugenio, sublatam tradunt quidam Danici Scriptores, quod tamen verum non est. Nullus enim Pontifex Eugenius eo tempore fuit. Crediderim certius sub Waldemaro II. factum, Pontifice Honorio, qui Concilio Slesvici indicto, opera Cardinalis de Crescentio, conjugia Sacerdotibus interdixit, ex eo enim interdictum Regis ad Scanenses superse-cutum est. Paucis vero ante annis missus fuit in Sveciam & Norvegiam Cardinalis Guilielmus *Sabinensis*, cujus curæ etiam inter cætera commissum fuit, ut ferri candētis usum abrogaret, quod & sub comminatione excommunicationis faciebat.

Pontanus in vita Haraldi pag. 198.

Ex

 1, 8, De ordalio ferri igniti:

Ex eo tempore vetuit Bergerus Iarl & eius successores. Quanquam enim reviviſceret, præcipue in Helſingia & Boreali illo tractu, ubi iterum receptum fuiſſe conqueſtus eſt Olaus Archiepiſcopus Upſalenſis, in eo quem diximus ſenatorum conventu; ad ejus ſollicitationem denuo edicto publico abrogatus eſt, & jure ſane optimo. Nihil in eo eſt quod non merito arguas, ſive ſuperſtitionem, & vel læſam vel tentatam numinis patientiam, ſive ſocordiam judicum quæ ſic fovebatur, quod enim eorum imperitiâ aut etiam ignaviâ erui non poterat, ejus judicij modum Deo præſcribebant, ut ab eorum arbitrio decideret, & miracula ejus in legem eruendæ veritatis traherentur, cujus ſic inveniendæ nulla extabat promiſſio. Taceo fraudes & fallacias quibus hic locus; quis enim neſcit eas interveniſſe? præſertim cum grande pretium eſſet, non impunitas tantum ſceleris, ſed & gloria & præmium: imo non defuerunt iſtis temporibus qui artem tractandi palam jactarent & venderent. *Sigurdus* quidam *Brabantinus* offert operam Regi Norvegiæ Haquino, qua mater ejus probatura patrem, non alium quam quem dixiſſet, fuiſſe, manu iunctâ ferrum impunè rractaret.

Cauſa abrogationis.

Rejecit filius fiduciâ opis divinæ (ita proditum Historico) nec fefellit eum ſpes, probavit enim mater illæſa. De quibusdam tamen non immeritò dubitare liceat, facile enim populo ſimplici imponi potuit ab ingenioſis & callidis, quales fuiſſe oportet, qui aut ex Hibernia aut Orcadibus inſulis oriundi, patrem ſibi & Regnum in Norvegia quæſiverunt pepereruntq;. Quare ſuſpecta fuit valdè hæc probatio, & plures etiam eo tempore duellum maluerunt. *Magnus*, qui Waldemaro Primo Daniæ Regi inſidias ſtruxiſſe ferebatur, cum

„ ex more & lege à procuratore Regis ab Henrico
„ Duce Saxoniæ, apud quem fugâ divertit, *ad judici-*
„ *um ferri candentis poſtularetur*, palam proteſtatus eſt
„ contra illam legem, ut *iniquam, quod ſæpe-numero in-*
„ *ſontem damnare & noxios abſolvere ſoleret.* Non inele-

gans eſt decretum Stephani V:ti nec indignum

„ quod hunc locum concludat: *Ferri candentis exa-*
„ *minatione confeſſionem extorqueri à quoquam, Sacri non*
„ *cenſent Canones, & quod Sanctorum Patrum docu-*
„ *mento non eſt ſancitum, ſuperſtitioſâ adinventione non eſt*
„ *præſumendum. Spontanea enim confeſſione vel teſtium ap-*
„ *probatione publicata delicta, habito præ oculis Dei timore,*
„ *commiſſa ſunt regimini noſtro judicare; occulta vero & in-*

cognita

1, 9, De purgatione p sacramentales, & purgatione Canonica.

cognita sunt relinquenda ei, qui solus novit corda filiorum hominum.

Cum *Ordalium* in usu esset, fuerunt & plures ejusmodi modi probandi res dubias, utpote per aquam ferventem, per frigidam, per sacramenti vel Eucharistiæ participationem, per offæ vel casei manducationem &c. quorum vestigia etiam adhuc alicubi supersunt. Sed quia de his in vetustis nostris legibus nihil traditum extat, omisi.

CAPUT IX.

De

Probatione per sacramentales & purgatione Canonica.

ARGUMENTUM.

Ratio & Essentia probationis Canonicæ: Origo & nominatio. Quibus in causis: Quando & quo loco præstita. Ordo & modus probandi. Sacramentalium numerus: Conditio & electio. Sacramenti qualitas, distinctio & varietas. Fidejussores. Antisacramentales. Testes. Probatio Canonica, ex parte abrogata, ex parte retenta. Torturæ ignotæ & quare.

PRobatio per ferrum candens hactenus vulgaris dicta, quandoq; etiam canonica fuisse videtur, quippe in locis sa-

cris & per ministeria ſacrorum hominum peracta, quod ſine conſenſu & approbatione primatum Eccleſiæ fieri non potuit. Certe non defuerunt ex patribus ejus, qui abrogationem ferri ſtatim criminarentur, profanari ſcilicet religionem, & minori innocentiæ ſtudio langveſcere fidem Chriſti, qui hæc & majora credentibus ſpopondiſſet, pandi vero fores ſceleribus multis & licentiam peccandi creſcere, poſtquam homines nihil à ferro metuerent. Sed, ut ante dictum, Canones poſterioris ſeculi tamen improbarunt, in cujus locum ſucceſſit hæc apud nos probatio, quæ κατ' ἐξοχὴν, Canonica dici meruit, & ferro & cum ferro etiam ſucceſſit, uſitata antea; de qua eò major nobis diſſerendi cura, quod jure Chriſtopherianô authenticô & receptô approbata, etiam hodie ex parte in uſu ſit; de cujus ratione, nomine, origine, primò pauca: Deinde de latitudine hujus probationis, quibus in cauſis, quando & quo loco præſtita fuit; tum de ſacramentalibus ipſis, eorum numero, conditione & electione: Hinc de ſacramento ipſo, ejus qualitate, diſtinctione & varietate: Deinde de adjunctis, ut antiſacramentalibus, fidejuſſoribus, teſtibus, &c. Poſtremò quibus

ex

 1,9, De purga°ne p Sacramenta, les, et purgatione Canonica.

ex causis videri possit ex parte abrogata, ex parte retenta.

Ratio & essentia probationis hujus consistit tota in nuda quorundam hominū contestatione, qui cum veri testes non sint, testium tamen officium & vices supplent, ideoq; ad rei dubiæ inquisitionem aut declarationem, vel à partibus postulati, vel etiam à judice electi, de veritate ejus jurare tenentur, ut ex eo deinceps nullâ interpositâ morâ sententia feratur.

Ratio & essentia probationis canonicæ.

Hanc probandi rationem quidam à Gothis & Longobardis in Italia exortam volunt, unde postea in jus canonicum recepta fuerit, quod an verum sit, non scrupulose inquiro. A tempore usq; Caroli Magni latè per Germaniam, Galliam & Angliam in usu fuit, paulo tamen diversa ab hac nostra, cum enim ad nos, Episcoporū præcipuè operâ, qui juri condendo interfuerunt, venisset: simul multa introducta vel superaddita sunt, ignota reliquis, nec à jure canonico mutuata, quæ an antea in usu fuerint, pro certo asserere non audeo; Postquam autem semel recepta fuit, adeo complacuit, ut non tantum in omnibus fere causis adhiberetur, sed una & sola, quasi nulla alia legitima foret: Unde

Origo & latitudo ejus.

 illud

illud in jure nostro; **Biuda Lagh**/ offerre sacramentales, **fåsta Lagh**/ stipulari sacramentales, **wed Lagum taga**/ admittere sacramentales, **må eller giöra Lagh**/ præstare sacramentales: (Angl[i] vocant vadiare vel facere legem.) **Laga måhl**/causæ sacramentales, & **Laghgiärdzmänn** ipsi sacramentales dicuntur. Atq; hinc explicanda videtur paragraphus ultima cap. 4.[ti] de jure regio in causis dijudicandis: **Han äger i Rijke sino aff Gudi högsta Domb hafwa och swa Allmogens käremåhl effter Lagan / eller effter fulla vthletha sannind höra/ hwad heller han will**/ id est, Licere Regi vel via hâc per sacramentales procedere, vel quavis alia ad veritatem penitius eruendam accommoda, utrumcunq; ipsi placuerit, quod ante illa tempora judicibus inferioribus non erat concessum, unde non incommodè etiam altera illa explicatio, sed generalior infertur: *Regem nostrum ad solennia juris non esse astrictum*, sed hæc obitèr.

Nominatio unde.

Nomen autem probationis hujus apud nos à Latino est, quia enim à canonibus canonica dicta fuit, in jure canonico ordinaria & regularis & legitima, exinde etiam in jure nostro sic dici meruit,

 1, 9, De purga^one p Sacramentales, S purga^one Canonica.

ut patet ex ſupra dictis. Ipſi verò per quos probatio canonica fit, *ſacramentales* dicuntur ob interpoſitam ſacramento fidem: dicuntur alibi *compurgatores*, ſpecialius tamen, non enim omnibus convenit, ut imputati criminis aliquem abſolvant vel condemnent, ſed tantùm quibusdam. Nam & aliæ cauſæ in hanc probationem cadebant, ut mox demonſtrabitur: De jure noſtro **Jſtadamán** dicebantur, item **wåte och wåtißmán/** item **Eedhwåte/ :** ſtatores, ſtipulatores ſeu conſcij juramenti iſtius quod à principali, noſtra voce **Hufwudmannin/** præſtabatur. Inſtituta autem fuit hæc probandi ratio, ut ſuperiores modi, ad facti tantū controverſias dirimendas, id eſt, an eſſet, cur eſſet, quantum, quale: quid juris, perinde extra ipſorum officium fuit, ut extra cognitionem, quod & ſupra de Nembda diximus. Data autem fuit tam actori quam reo, unde duplex etiam cauſarum ratio extitit, ut aliæ **witiß** ſive **wårjemåhl/** aliæ **dulzmåhl** appellarentur, illæ aſſerentis erant vel defendentis, hæ negantis: Illæ quaſi actoris, hæ quaſi Rei. Iuramentum illorum **wijtisEedh** vel **witzord**: horum vero **dulzEedh** nominabatur; pro illis præſumptiones militabant, pro his

Sacramentales.
Compurgatores.
Jſtad-mán
Wåthe
Eedhwithe.
In controverſiis facti.

his nullæ aut contrariæ erant : Unde illæ fidem majorem merebantur, & ferè pro semiprobatis habebantur, adeoq́ minorem numerum sacramentalium desiderabant, quem tamen, si cunctaretur asserens intra tertiam juridicam exhibere, vices ejus & conditio translata est in negantem, ut pro eo deinceps præsumeretur, liceretq; ei hoc quod diximus præstare juramentum, hac tamen conditione, ut si neuter, quod intendebat, probare posset, uterq; pœna aliqua plecteretur. Aliquando tamen, ut in crimine manifesto, ubi satisfactio prætensa fuit, aggravata est conditio asserentis & onus probandi per sacramentales multiplicatum. Utracunq; tamen in causa pro actore vel reo juramentum hoc, quamvis promiscuè adhibitum, ante judicis præcedentem censuram præstari non debuit, nisi irritum futurum & absq; effectu : „ **Hwar** „ **som Edher gånger domalöst och skiålalöst/ wari** „ **ogilder.**

Probatio Canonica quando admissa.

Præstari autem debuit die adulta, nec post solis occasum, præstari etiam debuit in judicio tantum ordinario, **å råttom Tingdagh agu Edha gånga/ och ey å afkiånno tingh.** Quare in specie etiam vetitum fuit, ne tempore aliquô jejunij aut quadra-

1, 9, De purgatione per Sacramentales, et purgatione Canonica

quadragesimæ, aut summorum festorum, aut sementis faciendæ, aut messis colligendæ, præstaretur, quia eô tempore nulla judicia ordinaria habebantur, quod & antè dictum.

Præstari autem debuit in judicio quidem, sed non præcisè, ut hodie, in loco facti, si modo extra territorium domicilij vel habitationis esset: Notos enim & ut plurimum vicinos advocabant, quibus maxime probantis vita constare potuit, quos tamen difficulter in alienam provinciam permovebant, motâ tamen de fundo controversiâ, non alibi canonice probari debuit quam in ipso fundo, præcipue ubi defendendus erat, sive illud sylva, pratum, ager, flumen aut lacus esset, quem morem etiam hodie alibi servant, secus præstita probatio pro nulla & illegitima fuit, quod & hodie in causis criminalibus observatur, quoad territorij tamen, non autem præcise locum facti. Ubi.

Ordo autem & processus erat, ut causa data & lite contestata reus ipse vel actor sacramentum hoc prima judicij die stipularetur, altera denunciaret, tertia exhiberet, **funi lagh fäster/ fästi á enom/ sighi til á androm/ gangi a tridiom.** Hoc tamen in causis nonnisi gravioribus obtinuit, ubi scilicet Ordo & processus.

decem aut octodecim aut etiam plures sacramentales requirebantur. In causis vero gravissimis, ubi scilicet triplex juramento duodenarius exigebatur, non præcise tertiâ juridicâ præstabatur. Visum enim sufficere ob difficilem sacramentalium conquisitionem, si à tempore stipulationis intra anni lapsum præstaretur. In stipulando vero & denunciando semissis sacramentalium nominanda fuit, dimidius scilicet numerus eorum, quisq; suo nomine & loco, ut de iis inquirendi facultas esset adversario. In minoribus vero causis, ubi unus tantum duodenarius aut etiam pauciores jurabãt, omnes nominare & indicare oportebat, adeoq;, nisi eosdem etiam quos nominasset, sed alios eorum loco exhibuisset & præstasset, ut probatio, tanquam illegitima & nulla, non admitteretur. In controversiis vero de bonis immobilibus stipulatio remissa fuit, quemadmodum & fidejussio, de qua postea.

Numerus sacramentalium.

Numerus autem sacramentalium ex magnitudine causæ dependebat. Magnitudo autem causæ ex pretio rei controversæ, si civilis; ex quantitate mulctæ, si criminalis esset, æstimata fuit. Olim enim pœna etiã quantocunq; crimini non nisi pecu-

cu-

1,9, De purga^one p Sacramentales, vel purga^one Canonica.

cuniaria. Pro causis ergo quadraginta marcarũ, triplex: pro sex marcarũ, duplex: pro trium, simplex duodenarius: ut plurimũ enim & communiter per duodenarios numerati fuerunt. Erant & causæ in quibus duodenarij tredecim requisiti fuerunt, de quibus posteà. Variabat etiam numerus sacramentalium pro diversitate causarum, ratione objecti & materiæ circa quam, ut in controversiis de fundis, de emptione venditione rei mobilis, & cæteris contractibus, item de criminibus, in quibus duodenarius unus, sesquialter, duplex vel triplex ordinariè injunctus fuit, quem numerum nonnisi cum in expeditione nautica essent, remittebant, dimidiô ejus contenti. In causis verò levioribus vilioris & minoris pretij, sex, quatuor, interdum & tribus sacramentalibus contenti fuerunt. Sed nec promiscuè hi, quotcunq; tandem essent, eligi & adhiberi poterant, quare, post numerum, eorum conditio & electio consideranda veniunt.

Conditio vel generalis fuit pro omnibus causis, vel specialis pro certis. In genere omnium sacramentalium conditio hæc erat, ut essent viri liberi, majorennes, stabiles, certi & domicilij & fidei, testabiles, quiq; præterea nec haberent *Sacramẽtalium electio & conditio.*

ſimilem cauſam in judicio, nec eo die, quamvis alia in cauſa, juraſſent. Itaq; & fœminæ ordinariè excluſæ fuerunt, & ſervi, & minorennes, & vagabundi & extranei, & banniti aut excluſi, & qui præterea aut perſonam non haberent ſtandi in judicio, aut ſimilitudine cauſæ præſumebantur præjudicio capti, vel onere paulò antè depoſiti juramenti gravati; adverſus hos in quavis cauſa excipere licuit. Conditio autem ſpecialis ex conditione cauſæ dependebat. In negotiis enim quibusdã civilibus, ut cognationis eruendæ, familiæ erciſcundæ ſive hæreditatis dividendæ, cognati & agnati non admiſſi tantum, ſed & requiſiti fuerunt. In debitis autem & criminibus, à tali probatione pro nocente, prorſus excluſi. Ut numerus & conditio, ita etiam electio nonnihil variavit pro diverſitate cauſarum, ferè tamen in omnibus penes eum erat, qui in ſacramentalibus intentionem ſuam fundabat, eos propterea ſtipulatus; quis enim alius hanc rogandi & conquirendi ſuſciperet moleſtiam? In quibusdam tamen jura utriq; partium hoc oneris impoſuerunt, ut in cauſis finium regundorum, pietatis denegatæ, transfugij, retractus. In quibusdam jura dimidium ſacramentalium offerunt ex ordi-

49, De purgatione per Sacramentales, et purgatione Canonica.

ordinaria Nembdâ, ut in duodenariis binis & trinis: In quibusdam neutri partium hoc immediatè concedunt, ſed mediatè utriq; per binos electores, quorum quisq; ſuum nominabat, ut illi duo ſuo arbitratu ſacramentales eligerent, ut in quæſtionibus ſtatus, cum de patre quæreretur, de quo poſtea. In cauſis item emptionis venditionis, locationis conductionis fundorum: hi enim ab electoribus electi ad numerum firmatorum, qui in ejusmodi contractibus adhibentur, adſciti, numerum ſacramentalium ſupplebant, & prout deinceps decidebant, fundus vel pro conducto habitus eſt vel pro empto.

Fideiuſſores & Teſtes.

Præter hos ſacramentales, ad perfectionem hujus probationis in quibusdam cauſis etiã ſponſores ſive fidejuſſores & teſtes requiſiti fuerunt. Fidejuſſorum (Tafi jura nominant) officium erat, non tantum cavere ſacramentales judicio ſiſti, ſed & illis denunciare, eos in judicio enumerare, formulam juramenti concipere, deniq; ubi uſus facto, de perfectione præſtiti Sacramenti teſtari. Erant itaq; quaſi præſides ſacramenti, pararij & ſequeſtri, qui quidem cum ſacramentalibus in factum non jurabant (hoc enim expreſſe vetitum) jurabant tamen

Sponſorum officium circa ſacramenta. men in formulam & modum ſacramenti, ſcilicet, hoc tempore, hoc numero, his verbis eſſe jurandum, adeo ut ſi ſuper ea re, vel reo, vel etiam actori lis moveretur (poterat enim utrumq; fieri) ipſis denuo cum bino aut etiam ſeſquialtero duodenario jurandum eſſet, adeoq; ipſi parario jam opus foret etiam parario ſeu ſponſore. Horum ratione pro una cauſa ſæpe duplex ſacramentum erat, TakzEedh & GangzEedh/ quorum alterum cum altero non erat confundendum, Ingen må qwälia TakzEedh för GangzEedh.

Gangz Eedh GangzEedh erat ſacramentum ipſum principale de cauſa à pluribus præſtitum.

Taakz Eedh. TaakzEedh vero fidejuſſorum erat paratorium tantum, & adhibitum pro decernendo juramento in negotio principali, quod vocabant Swärja Eedz öhret nider/ id eſt jurare, juramentum eſſe præſtandum: Si tamen, cum utrũq; hoc præſtitum eſſet, juramentum ſacramentalium nihilominus impugnaretur, principali parti denuo jurandum erat, ſed ſpretis prioribus, cum novem ſacramentalibus, & quidem pluribus binario: hoc vocabant juramentum juramento impingvare, ſive juramentum juramento addere, quod eatenus tamen permiſſum, ut unum uno liceret, non plura

uno:

 1,9 De purga^ne y Sacramentales, et purga^ne Canonica.

uno: **Man skal giöda Eedh medh Eedh / och egh twå medh enom:** Quare hoc juramentum confirmatorium etiam impingvatorium dictum fuit, **GiödzluEedh**: alterum vero & primum illud (**vpråttu Eedh**) directum fuit sacramentum; quod super compositionibus & transactionibus præstabatur, **SåtisEedh**. De hisce omnibus, quoties malè aut animo pejerandi præstita dicerentur, Nembda Ecclesiastica Episcopalis cognoscebat; atq; hæc præcipuè de jure nostro Gothico. GiödzluEed vpråttuEed SåtisEedh.

De jure Sveonum paulo mitior fuisse videtur hæc probandi ratio, scilicet per testes & antesacramentales, pro quolibet, vel etiam ad quemlibet duodenarium, binos vel trinos, quibus adhibitis amplius impugnari non poterat, **och wari thet » låß firi tritolfftum Eedh**: *Esto* (inquit) *sera & » clausura juramenti per tres duodenarios præstiti.* Sed ut ad pararios sive fidejussores revertar, totidem in omnibus causis requisiti fuerunt, quot erant duodenarij, exceptis Controversiis super fundis: Super his enim juramenta præstanda, nec stipulationem nec fidejussorem præexigebant, **all » jordadelu hana a / hwarte fåsta eller taka / han a » ofåst och otakat a iswersto såmpt ganga.** Fuerunt »

autem

autem fidejussores sive **taka /** ratione objecti in triplici differentia, **Edhataka / Frataka / Wådie-taka/** id est fidejussores sacramentum præstari, fidejussores judicatum solvi, fidejussores judicio sisti, si res scilicet in eo versaretur, ut aut juramento, aut solutione, aut appellatione prosequenda esset, tantum de illis.

Edhataka/ Frataka/ Wådi-taka.

Dixi autem testes adhibitos fuisse, testes sive ante sacramentales, **Fôredißmån/** ita enim nominantur. Fuerunt, sed in causis tantum gravioribus, & pro quolibet duodenario, bini tantum legalis complementa sacramenti, quorum officium, in quantum destiterit officio sacramentalium, ipse quidem ignoro, nisi quod post testimonium depositum, inter sacramentales cooptari cumq; iisdem iterum jurare deberent: **Aller tolff manna Edhe skulu medh wittnom gangas: Twe mån wittne båra/ och åther i Eedhe standa.** Ius novellum non in omnibus quidem duodenariis, aliquibus tamen, testes desiderat, videantur Cap. 16. §. 3. **i Kiörck.B.** 14. 22. **i Gifftm.B.** 16. 20. **i Tiufwa B. Twenne aff dhem ågha wittne båra och åther i Eedhe standa:** Unde etiam **Fôredißmån** dicti fuerunt, ut modo dictum.

Fôredißmån

Iura-

 1,9, De purgatione per Sacramentales, Spurgatione Canonica.

Juramentum autem ipsum ratione qualitatis præcisè in rem ipsam vel factum præstabatur, & primo quidem à principali, quem scilicet causa proxime tangebat, quomodo etiam ante sacramentales jurare oportet. Sacramentales verò ipsi non directe quidem in factum aut rem controversam jurabant, ita tamen ut non aliter consecutione necessaria accipi posset. Iurabant enim quod juramentum principalis verum & legitimum esset, **at hina swuru sant och Laghreen och icke meen:** quæ formula in hodiernum usq; diem in processibus judiciariis usitata fuit. Iuramentum hoc quandoq; remissum fuit, sed cum consensu omnium quorum intererat, itaq; si quid ex ea causa ad Regem aut universitatem spectaret, alter in alterius præjudicium remittere non potuit. Sed & certæ causæ fuerunt, in quibus juramentum, quamvis omnium voluntate & consensu, remitti tamen non placuit, ut in controversiis super fundis, causis violatæ pacis & securitatis, furti, vis, rapinæ, veneficij, sententiæ Regis impugnatæ. Item in causis gravioribus ubi sacramentalium duodenarius triplex a jure impositus fuit. Iuramento autem ad modum & formulam supra scriptam, &

Juramentũ sive sacramentum qvomodo præstitum.

Juramentum veritatis.

quidem à tot ſacramentalibus præſtito, cauſa pro deciſa haberi poterat, niſi tot præcedentibus requiſitis, tot etiam exceptionibus locus datus fuiſſet denuo impugnandi. Irrita enim fuit omnis opera, ſi in minimo peccaretur, vel loco, vel tempore, vel ſtipulatione, vel numero, vel qualitate, vel formula. Itaq; ex aliquo illorum ſacramentum facile impugnari vel improbari poterat, ut aut ad fidejuſſores, aut teſtes, aut etiam novos ſacramentales denuo redeundum eſſet. Sed nec ſic quidem res ſtetit, in ſuſpenſo cauſa manſit aliquando ſub eventu contrarii juramenti, ſi forte ab adverſa parte plures forent qui id producti præſtarent. Id enim etiam licuiſſe, non ſolum ex jure provinciali Gothico, ſed municipali Sudercopenſi aperte liquet, imo etiam Sudermannico Cap. 1. Jorda B. etiam Uplandico Cap. 16. & 17. i Kiörckie B. LL. extat in jure West-Gothico regula: „Allir ſu Tolffter med Wittnum och Häradzdom ganger ſkulu ſtanda och ey ätherganga: „vthan adra twenne ganga moot ſamma malit / tå „ligga thet til Siu mannom aff Nembda. In ejuſmodi ergo caſu cauſa ad Nembdam ordinariam devoluta fuit, ut in alteram partem decideret, & finem

Juramenta cõtraria admiſſa.

1,9, De purga^one p Sacramentales, et purga^one Canonica.

& finem tandem liti imponeret. Certæ tamen causæ fuerunt, in quibus contra ſacramentum testium jurare non licuit, ut quando de nova fabrica, cultu, ſtatu &c. depoſuiſſent, **moot Byggningawittnom/ Loſzwittnum/ alla Landzwittnum ther ganger ingen Edher a moot.**

Ultimò notandum, quod & ab initio dictum fuit, hanc ferè ſolam fuiſſe probationem, non eandem tamen ſemper impunè tentatam fuiſſe, quemadmodum nec ferrum in duello aut igne. Si enim reus quod ſtipulatus erat, præſtare non potuit, non tantum cauſâ cecidit, ſed duplicata inſuper pœna criminis imputati, tanquam in convictum, ut ſatius fuiſſet ſimplum ſolvere, quam tam operoſa, tot ſacramentalium, & fruſtranea tamen ſi in minimo peccaretur, conquiſitione duplum: eò enim ad extremum res rediit, ut conſtat ex jure Oſt-Gothico Cap. V.to titulo de criminibus. Probationis canonicæ eventus.

Atq; talis ferè fuit veterum per ſacramentales probandi ratio, ex quorum legibus me vix extrico, difficilius illi ſe ex cauſis, tot nexibus quos ſibi ipſis neverant, implicati, quorum nulla tamen in jure Canonico habuerunt fundamenta. Nam ſive rem ipſam directè & in ſe, ſive obliquè & per Quæ vitia probationis Canonicæ.

 conſe-

consequentias intuemur, multa hic videntur criminationibus oboxia. In genere nimis catholica fuit hæc probandi ratio, cum una ferè & sola dominaretur, & ad jurandi necessitatem homines non duceret, sed cogeret. Iuramenta sacra sunt, non temerè tractanda, quo enim rarius adhibentur, eò sanctius ut plurimum præstantur, quod Gothi in Hispania prudentius perspexisse videntur, qui lege caverunt ne ad Sacramentum facile veniretur. *Hoc enim justitiæ interest* (inquiunt)
„ *potius indagatio vera commendet, ut scripturæ ex*
„ *omnibus intercurrant, & jurandi necessitas sese*
„ *omnino suspendat.* Nostris domesticis Gothis jurandi necessitas non solum cum reliquis probandi modis, sed & ante illos fuit à religione cæpta, sed religioni maxime adversa. Assiduitate enim vilescunt & consuetudine morem pejerandi publicum inducunt, unde contemptus numinis ab impunitate, & quod hinc sequitur, concussâ fide, generis humani vinculo, universa hominum societas conturbatur.

Frequentia jurandi.

Peierare enim tam pene necesse fuit quam jurare, cum sacramentales isti in factum alienum, cujus probabilis fuit semper ignorantia, jurare tenerentur,

Perjuria. Quod de facto alieno jurarent.

nerentur, imo in ſcientiam etiam & ignorantiam alienam. Non enim eſt quod hic excuſent, quaſi ultra conſciẽtiam nemo urgeatur, quaſi credulitatis non autem veritatis juramentum exigatur: Contrarium enim juramenti formula lege prodita & ſupra memorata evincit. Præterea infinita juris loca: Cap. 30. i JordaB. 10. i Högm. B. 4. i TiufwB. i LL. 9. & 10. i KiöpmB. 7 & 16 i TingmB. i Vpl.L. 8. 9. & 16. i EgnaSalur. 31. 4 i WinßordzB. 5. i GifftmB. 3 & 13. i DråpmB. 6. 8. 12. i DråpmB. i Östg.L. Deinde etiam praxis quæ in hodiernum usq́; diem fuit, à compurgatoribus, tanquam teſtibus, veritatis non credulitatis aſſertionem exigens, deniq́; etiam pœna eorum, quorum juramentum irritum redditur. Ex juramento enim credulitatis inteſtabiles non forent, nec aut pecuniæ mulcta, aut infamiæ nota plecterentur, quorum utrumq́; tamen tanquam in perjuros obtinuit, ſi poſt probationem ſic factam aliunde de rei veritate conſtaret. Nonnihil tamen (fatendum eſt) diſcriminis intercesſit quoad pœnam inter principalem ipſũ, anteſacramentales, & ſacramentales ipſos. Illi, principalis inquam, & teſtes manifeſte ſcientes & volentes,

Probatur.

 perjuri

perjuri erant, ideoq; illos nulla privata confessio vel absolutio à pœna & pœnitentia publica liberabat. Sacramentales vero perjuros quidem, sed nimia simplicitate vel credulitate, non vero ex proposito aut conscientia, in tantum privata præcedens confessio juvit, ut saltem publica liberarentur, minore etiam pecunia mulctarentur : in cæteris pares. Quantum vero negotii facessiit olim Canonicis nostris hæc jurandi licentia, Canones Ecclesiastici, præcipuè juris Ost-Gothici, nos facile docuerint; sementis enim sacramentorum copiosa in secularibus judiciis facta est, unde illi in consistoriis suis uberrimam messem meterent, mulcta enim ex perjuriis ad Ecclesiasticos venit, quod haud scio an à jure pontificio mutuati sint, neq; enim ex illo quod & antea dictum, fundamentum ejusmodi juramenti habuerunt. Expresse enim ibi præceptum exstat, non aliter jurare Sacramentales quam quod ex sua conscientia

Juramentum credulitatis.

„ *sit immunis* (principalis scilicet) *vel quod credant*
„ *illum verum jurâsse* : *vel quod hoc, sicut ipsi cre-*
„ *dunt, verum juraverit*: hoc enim nostratibus non visum sufficere. Quare etiam suo tempore hoc animadvertit **Saxo Grammaticus**, *abrogato ferri*

canden-

candentis usu, occasionem multis datam fuisse per ejusmodi sacramenta pejerando sese polluere.

Nimis verò quàm multis, (hoc enim alterum est quod non immeritò arguitur,) intolerabilis ille sacramentalium numerus, pro tribus scilicet marcis, duodenarius: Et si causa fuisset majoris pretij, etiam plures juxta regulam juris generalem, **alla stadha högiß swa Edher som both / och ökis hwart effter adru**/ id est, *pro causæ magnitudine augeatur ubiq; numerus sacramentalium, & pro numero satisfactio vel pœna.* Itaq; duodenarii non dimidio tantum, sed & duplo, vel etiam triplo plures ducti fuerunt, imo etiam decuplo vel tricecuplo: Exempli causa, si quis se cædem expiasse asseveraret, probandum hoc erat juramento, quod à tredecim duodenariis præstari debuit; jam si fidejussores singuli & bini antesacramentales ad singulos duodenarios adnumerentur, erunt in universum centum nonaginta quinq;. Quis non deficeret tot hominibus conquirendis? cum in tanto etiam numero, nec patri nec fratri locus daretur, nec ulli qui similem haberet causam. Itaq; necesse fuit aut inopia probationis reum cadere, aut quam plurimos in animæ periculum induci,

Numerus sacramentalium.

atq;

atq; haud scio, annon satius esset illum causa destitui quam tot homines gravissimo perjurij periculo temere involvi. Nam cum quandoq; etiam contraria admitterent juramenta, non tam occasio data quàm necessitas pejerandi imposita videtur. In contradictoriis enim alteros falli oportuit, unde factum est postremo ut quod remedio esset ad litium terminationem, idem incremento foret ad earum amplificationem, manentibus causis perpetuo fere dubiis & incertis. Iam si præterea & illud consideretur, quod hæc probatio promiscue admissa fuerit, manifestum est ansam datam fuisse obtrectatoribus in deferédis reis, quibus etiam innocentibus purgandi & diluendi criminis necessitatem leges imposuerunt, etiamsi alter nihil vel verisimile saltem attulisset; è contrario reis, quando nocentes essent, adversus testes & firmiores rationes eadem purgandi facultas concessa fuit: id ipsum Saxo Grammaticus non immerito arguere videtur, cum ad hunc modum de Rege Haraldo successore Svenonis Estricii, disserit, *adversus provocationem*, inquit, *restipulandi jus edidit, prioresq; defensionis partes quàm accusationis instrumenta constituit, reo siquidem actoris jus in refellenda accusatione*

Pejerandi necessitas.

Promiscua probationis ejusmodi admissio.

In deferendis reis.

concessit, quam antea testium fide subnixam defensionis præsidio repellere non licebat. Quod jus usurpatione firmatum ut familiare libertati, religioni pestiferum evasit. Ipsa namq; defendendi potestas, non armorum, non testium usu, sed sola sacramenti fide subnixa, multorum conatus, votorum cupiditate perjurio polluit. Atq; hinc est quod Ericus Rex Norvegiæ bellum denunciasse scribitur Regi Daniæ Erico **Meñwedh**/ inter cæteras etiam hanc ob causam, quod in comitem Iacobum ejusq; complices ex Sacramento Nembdæ juxta probationes factas, lata sententia esset, nec illis permissum jure scilicet recepto sacramentalium juramento, se tueri, quos ex agnatis aut cognatis advocâsset : **At them war swurin saak vppå/ och at the icke sielff medh Köns Edh måtte enskylla sigh.** Atq; hæc sunt præcipue in hoc probandi genere reprehensioni obnoxia, quod scilicet (ut summatim complectar) nec ratio ad stipulationem sacramenti, nec modus in numero sacramentalium esset, quod cum certo interdum & inevitabili perjurij periculo præstaretur; deniq; quod & contra testes admissum fuit, & cum testibus etiam requisitum, quorum alterum omni ferè gentium juri contrarium, alterum supervacuum fuit. Quare posterio-

Quæ in modo probationis canonicæ remissa.

ribus seculis multa hic remissa sunt, non in usu tantum & desvetudine, sed & legibus posterioribus, cumprimis vero contraria juramenta, etiam lege contraria, vetita & sublata: **Gange aldre Eedh moot Eedh eller Nämbd moot Nämbd för samma Rätt i samma Saak**: Fidejussores etiam & antesacramentales desierunt: sufficere enim visum, si reus verbis promitteret, & in diem certum stipularetur. Testes autem posteà admissi sunt, etiam soli, ita tamen, ut in arbitrio actoris ponerent, utrum vellent ad rem probandam testes adhibere vel admittere adversarij canonicam probationem: eâ tamen conditione, ut si ad testes provocâsset, iisq́, defecisset, reus deinceps non cogeretur ad sacramentales, cujus alioqvin necessitas ei incubuisset, id quod deinde novissimo jure obtinuit, idq́; præcipue ex decreto Gregorij Pont.
» Rom. *Accusator*, inqvit, *ille quod asseverat probare se*
» *non posse profitendo, reum necessitate monstrandi contra-*
» *rium non astringit, cùm per rerum naturam factum negan-*
» *tis probatio nulla sit.* Itaq́; hodie ante omnia ad testes & alias probationes recurritur, & si causa sic liqvido probari potest, nullæ sunt sacramentalium aut etiam Nembdæ partes: **ären wittnum til**

tå

 L. 9, De purgat.ne vulgari Sacramentales, et purga.ne Canonica.

tå gånge the fôre Nâmbd. Sed si testes desunt, tenetur actor suam intentionem, vel per indicia saltem vel præsumptiones, verisimilem facere, alioqvin non tantum absolvitur reus, sed & actor in mulctam, si modò culpa, quæ actione intentata fuit, infamasset, condemnatur infamantem, aut etiam in pœnam quam subiturus erat reus, si convictus fuisset, quod & lege Rhemica apud Romanos cautum fuit: *justissimâ patiendi vice, ut quod quisq; alieno excogitavit supplicio, excipiat suo.* Nullus ergo delator auditur, nisi fundamentum accusationis monstretur, præcedente aut publicâ famâ aut præsumptionibus gravioribus: tum demum (quod & authoritate ejusdem Gregorij factum, & in jus nostrum translatum videtur propter scandalum removendum) compurgatores admittuntur, quorum numerus hodie duodenarium nunquam excedit. Quin etiam nuper sufficere visum est, si ad sensum juris Canonici ex fide aut credulitate, non vero absolute in rei veritatem jurent, quomodo olim Norvegi jurasse videntur, & Vallium inhabitatores: At the witta en sannarin / ån at han soor / at the eng wittne teirsannare firi Gudi / ån at han soor effter sine hyggio / id est, *quod*

coram Deo non aliud verius norint, quam quod is (principalis ſcilicet) *juraverit ex animi ſui ſententia vel conſcientia:* Adhibetur autem ob defectum claræ probationis, & ſupplet vicem ejus quod in cauſa deſideratur, ut lites eò citius expediantur. Reus enim qvaſi in æquilibrio ob ſemiprobatum crimen conſtituitur, donec acceſſione ſacramenti hujus in alteram partem aut elevetur aut deprimatur. Æque ſolliciti videntur majores noſtri fuiſſe, ne inſontes evaderent, quam innocentes dimitterentur, quam innocentiæ faverunt, tam oderunt vitia, ut quod ille de uxore ſua, hi de civibus ſuis exiſtimaſſe videantur: oportere illos non crimine tantum, ſed & criminis ſuſpicione vacare. Innocentiæ ergo ſtudendum erat, ut ſi caſus ferret, in omnem eventum parata haberentur defenſionis inſtrumenta. Habet vita honeſte acta hoc præmij, ut ex ea de præſenti teſtes inveniat, qui talem jurati exiſtiment eſſe, qualem fuiſſe conſtat. Teſtimonium vitæ præteritæ, munimentum eſt præſenti, & incitamentũ ad bonæ famæ ſtudium. E contra piò ſi quis compurgatores non invenerit, indicium eſt, vitam ita egiſſe, ut ei nulla fides haberi poſſit, Luatq; etiamſi pro tempore innocens, pœnam tamen

men

1, 9, De purgatione per sacramentales, et purgatione Canonica.

men reatus præteriti, quod & apud Persas sub considerationem in æstimatione pœnæ veniebat.

Hæc una fortasse & præcipua toleratæ tamdiu probationis hujusmodi causa. Altera est ab odio torturæ, quam nunquam, nec in semiprobatis quidem criminibus, admiserunt, pœnam enim illam crediderunt delicti manifesti, non viam manifestandi, ideoq; res dubias non eculeis & tormentis, sed tantum quorundam bonorum virorum conscientiæ commiserunt. Illorum arbitrium genti animosæ & liberæ potius placuit quã fidiculis confessionem incertam extorquere, & ad ultima supplicia per gradus excarnificationis descendere. Satis grande tormentum rati, ex sufflamine litium per tot processuum ambages, inter spem metumq; diu trahi. *Acerbissima enim crudelitas est*, ut Seneca ait, *quæ trahit pœnam: & misericordiæ genus est, citò occidere* (*quia tormentum ultimum finem sui secum affert, quod antecedit tempus, maxima venturi supplicij pars fuit*) *satis est tormenti tam diuturna litium flamma uri.*

CAPUT X.

De Modis exequendi sententiam & Pœna veterum in genere.

ARGUMENTUM.

Executio sententiæ pro ratione modorum probandi. Pro ratione causarum. Executio in capitalibus quandoq; actori concessa, etiam in civilibus. Nam & repressaliæ. Contumaciæ pœna olim exilium aut excommunicatio. Pœna veterum in genere in criminalibus.

VLtimum quod restat in processu judiciario, est Executio. Re dubiâ qualitercunq; probatâ, nec sententiam ferre difficile, nec exequi. Ac singulari quidem congressione, omnis litis processus confestim terminatus fuit, quippe ultimo ictu, simul & res probata, & sententia lata, & executio facta est. Ad ferri vero probationem candentis, ulterior judicis declaratoria accessit, qua reus vel honestè dimitteretur, vel in pœnam lege crimini constitutam condemnaretur: Ustulatio enim pedis aut manus non pœna delicti, sed præmium temeritatis fuit.

Idem

1, 10, De executione & poena.

Idem etiam obtinuit post Nembdæ & sacramentalium probationem, nam prout aut absolvissent, judex vel ab accusatione liberabat, vel pœnam à jure indicebat.

Executio autem in capitalibus, quandoq; actori concessa fuit, ut si cædes vindicanda esset post sententiam latam, qua reus post diem & mensem ad cædem prostituebatur, non tantum actori concessum, sed fere imperatum, inimicum persequi & vindictæ insistere. *Suscipere enim* (quod *Tacitus* de *Germanis* dixit) *tam inimicitias seu patris, seu propinqui, quam amicitias necesse fuit.* Leges modernæ non id quidem imperant post lapsum salvi conductus: Connivent tamen persequenti ab initio homicidam actori, ut si intra diem & noctem à cæde facta, uno quasi impetu cædem cæde vindicet, minime capite aut exilio luat, sed pœnitentia tantum publica & exigua pecuniæ mulcta. Executio in capitalibus,

In civilibus etiam executio aliquando actori relicta fuit: Si enim reus judicatum non spontè solvisset, licebat non implorato prætoris auxilio sibi rapere, quod majores nostri Nema vocarunt, & capturam ipsam Nam unde *Witernamium* est, quo hodie Saxones & Angli *repressalias* notāt, quarum Executio in civilibus. Nema. Nam.

rum

um maxima est cum hoc executionis genere affinitas, nisi quod illæ in alterius potestatis subditos tum demum permittantur, cum manifesta est justitiæ denegatio, & tamen non ultra debiti mensuram, in quod prætenditur. Cæterum hæc captura (Nam) de jure nostro vetusto certis conditionibus & terminis circumscripta fuit, fieri enim non debuit nisi post rem judicatam, & si modo bona debitoris extra fundum ipsius apprehendi possent. Nam si aut debito non planè liquido, quamvis judicatum esset, aut in ædibus debitoris id juris sibi actor vindicasset, periculum & vitæ & causæ faciebat. Licebat enim reo se suaq; tueri, etiam cum cæde & vulneratione impunè, cum è contrario creditor hoc casu, si quid fecisset, in duplum teneretur pœnæ ordinariæ, præterquam, quod & causa caderet, &, ut invasor, mulctaretur. Leges nostræ *Vallium* vel *Dalicæ* determinant hanc capturam ad certas res & ad certum tempus, ut ea præcipue quæ parabilia & obvia essent, & quotidiano in usu, rapere liceret. De jure West-Gothico idem, etiam re non judicata, licuit, modò debitum liquidum esset, & reus de eo per testem vicinum compellatus : **ähn Madir kräftwir man**

skuld/

1,10, De execu'ze & poena.

skuld/tå skal han a Granna hans kalla låtha them wedhwahru / och höra / at han kråfwer han Skuld; tå må han Nema han sidan / ähn han wil. Idem juris in Norvegia fuit, requisitâ tamen prius à Præfecto Regio licentia. Idem etiam in Dania, Semel tantum rapere licuit, & eâ quidem conditione, ut si pretium debiti res capta non exæquasset, denuo raptum repetere non liceret.

Sed hæc exequendi ratio apud nos abrogata est tempore Canuti Regis, ac demum à Bergero Iarlo penitus prohibita & sublata, ejusq; loco constitutum, ut nisi de fuga suspectus esset debitor, ipsi dies statueretur ad solvendum; si eo non solvisset, vel peculiari mulcta ob contumaciam plectebatur, dato ad solutionem novo termino, vel etiam confestim ex Nembda arbitri dabantur, qui ex substantia debitoris judicatum emetiebantur, quod & hodie de jure communi obtinuit. Suspectum vero de fuga, vel bona ejus, ubiq; creditor attinere potuit, sed postea id etiam non temerè sine judice aut teste. Perhibet Scriptor Norvegus de jure Upsalensi fuisse olim constitutum, ut si intra diem constitutum non solvisset judicatum reus, pelleretur in exilium bonis publicatis,

Emensio rei judicatæ per arbitros

Exilium refractarij.

catis, quorum ſemiſſis Regi, ſemiſſis actori cederet. Idem certe de jure antiquo Gothorum fuit: Fällis madir å Tingi firi Saak/ och åhr Målzåganden ſwa wannför eller töhr ey ſielfwer ſökia ſin rått vth (per capturam ut modo dictum) bidir Håradzhöfdinge giöra ſigh rått. Tå ſkal Håradzhöfdinge honom dagh gifwa til annan ingh/ giör han ey målzåganden rått/ tå lågge Håradzhöfdinge han fridlöſan um Hårade/ til han rått giör.

De jure Oſt-Gothico aliquantulum ampliatur terminus, & datur pœnitentiæ locus, donec ſupremum vel Liongæ judicium ſupervenerit. Niſi interea ſeſe reus emendet & ſententiæ pareat, proſcribitur & bona publicantur, in quantulacunq; etiam cauſa, ut eſſet ad extremum exilium pœna contumaciæ, perinde in puncto executionis ut citationis. Quod nonnunquam in Camera etiam Imperiali de jure Cæſareo obtinuit, teſtibus *Gailio* & *Myſingero*: Sed hoc mirum, quod de jure noſtro prædicto, eidem quoq; pœnæ actor, ſi deſtitiſſet, ſubijceretur: inique ſatis, cum nemo invitus ad agendum compelli debuit. Fuit olim & alia non diſſimilis ratio contumaciæ puni-

puniendæ: Excommunicatio scilicet in subsidium brachij secularis ab Eclesiasticis impetrata, sub eo tempore cum eorum potentia hoc fulmine præponderaret. Huic etiam Reges sese obnoxios dabant, si decretis judicum non stetissent, etiam vim ejus in alienis subditorum suorum causis implorabant, ut aut sententiæ parerent, aut etiam appellarent. Veteres Gothi in Hispania contumaciam interdum mulctâ, interdum etiam flagellatione puniverunt, quæ in præsentia judicis vel pro ratione culpæ, vel etiam conditione personæ in quinquaginta vel triginta ictibus terminabatur. Excommunicatio,

Cæterum executio omnis in pecuniam & bona fuit; in bona ad æstimationem pecuniæ pro ratione temporum, per emensionem, uti nominant, quæ nonnisi à Nembdariis fiebat, & quidem in judicio ad hoc deputatis, à quibus etiam provocare licuit: Vetustissimæ enim leges raro capitis etiam qvantocunq; crimini imponunt supplicium, si modo reus par mulctæ fuerit. Regula enim universalis fuit, **Giälde ingen Lijff firi Lijff/ eller Lem gen Lem som bothom orckar / eller ock Borgen til fulldra botha/** id est, *nemo vitam pro vita aut membrum pro menbro ponat, qui mulctam præstare*

Executio in bona.

in vitam rara.

poteſt, aut cautores de mulcta. Itaq; ſacrilegia, parricidia, homicidia, etiam in imbellem ætatem vel ſexum, pœnæ tantum pecuniariæ & pœnitentiæ publicæ ſubijciebantur: atq; ita quidem de jure *Uplandico* (reliqua hic excipio) ut ſi mulctam reus præſtare non poſſet, non tamen capite aut corpore lueret, ſed aut proportionaliter decederet ijs, quibus mulcta debebatur, aut etiam propinqui in partem mulctæ vocarentur.

Executio in bona cognatorum.

Nam & hoc peculiare erat, quo executio non tantum in principalem reum ſed & agnatos & cognatos ejus fieret, quæ ſatisfactio majoribus noſtris **Oranboth** vel **ätteboth** dicta fuit, & à familia familiæ dabatur, quod præcipue factum eſt in homicidijs, adulterijs & ſtupris, damno dato, &c. de qua prolixius infra inter criminalia dicendum.

CAP.

1, 11, De poena pecuniaria, e veteri moneta.

CAPUT XI.

De
Mulctâ sive pœnâ pecuniaria, & ratione veteris monetæ.

ARGUMENTUM.

Mulcta veterum in quibus consistebat. Pecunia olim ignota. Quomodo defectui pecuniæ suppletum. Species & ratio veteris monetæ. Marcæ nomen, valor & partes. Ora & ejus partes. Quadrans, Octans, Sextans, Semissis, Triens, Pecuniola. Decretum monetæ nostræ per secula & ætates, & quæ ejus causa. Mensura veterum in aridis & liquidis.

Quia capite præcedenti dictum est executionem præcipue in bona & pecuniam factam esse, quod non apud nos tantum, sed & veteres *Germanos* & *Gallos* factum; occasio invitat, ut postremo loco aliquid de mulctâ & ratione veteris monetæ adferatur.

Nobis olim pecunia omnis ignota. Nos *Germani* & *Angli*, Germanos olim *Romani* pecuniam accipere docuerunt, instrumentum tam vitiorum quam virtutum, prout aut habet aut habetur. Ius enim & fas & quicquid in rebus humanis sanctum Pecuniæ usus.

 est

est, huic succubuit: huic vicissim debetur, quod omnia commode agantur, belli & pacis artes floreant, quippe cujus interventu homines cohærent, commercia vigent, & parari potest quicquid in hac vita aut juvat, aut delectat.

Mulcta in mercibus.

Sed ante pecuniæ usum, ut commercia in permutatione sola consistebāt, ita mulcta in mercibus tantum imposita fuit, in pecore, armento, frumento, suppellectile, nam hæ solæ divitiæ erant. Rex *Amundus* **Kåhlbrånna** mulctam etiam in ædibus posuit, ut pro qualitate aut quantitate delicti, vel ex parte, vel etiam in totum igni subijcerentur, sed præterquam quod id hostilem quandam devastationem præ se ferret, & in publicum triste visu & deforme esset, cum nec aut læso satisfactionem, aut reo grande damnum afferret, torpentibus de cætero ad ædificiorum curam civibus, statim abrogatum est, cum perpetua Regis istius ignominia, quæ nomini ejus etiam posterioribus seculis adhæsit.

Postquam autem pecunia invecta est, ejus usu adhuc raro in arbitrio rei relictum fuit, vellet ne mercem vel pecuniam dare.

Mercibus autem ut bobus, vaccis, panno domestico

1,11, De poena pecuniaria, e veteri moneta.

mestico &c. à lege pretium impositum fuit, non tam comparatione ad pecuniam (quæ primitus nulla aut rara) quam ad rem aliquam vulgarem, quæ communiter in substantia familiæ fuit, cujus usus necessarius. Exempli gratia, vacca bimula aut trimula loco pecuniæ erat, à qua æstimatio cæteris mercibus pluris aut minoris pretij animatis accessit, ut esset scilicet duplo minoris quã eqvus, parte tertia quam taurus, quadruplo pluris quam capra trimula, aut ovis, & hæ vicissim duplo pluris, quam hædi, agni, anseres, porci, &c. In comparatione vero ad pannum domesticum, vacca trimula duodecim ulnis constaret, &c. De jure communi Christophoriano etiam invito hypothecario mercibus quibusdam, ut cupro, bobus, butyro, lardo, &c. pignus lui potest, sed quibus tempora pretium rectius imponunt. Pecunia ergo primitus rara & peregrina, & à peregrina omnis nostra & ortum, & nomen & valorem accepit. *Sterlingorum* mentio fit in vetustissimis contractibus, in vetustioribus etiam *Noblorum*. *Grossi & albi* tempore Regum Germanorum fuerunt. *Skillingi*, *penningi*, sive *pecuniolæ* etiam anteriorum. Nos illos mittimus qui amplius nostri non sunt, & ex libris

Mercibus pretium impositum fuit.

Pecunia peregrina.

quoq;

quoq; perierunt: de ſolis *marcis, oris, ortugis, penningis* dicamus, quia horum in omni & vetuſto & recenti jure mentio, & juxta hoc antiquitus agrorum & æſtimatio & diviſio inſtituta, quæ etiam hodie uſitata eſt & vulgo nota. *Thalerorum* enim recens & noſtri ſeculi nomen eſt, differentia & valor notus.

Marca. *Marca* ergo antiquiſſima, uſitatiſſima & maxima moneta fuit, ab eo nomen adepta quod argentum ſignatum eſſet: **Marck** enim ſignum ſignificat, non nobis tantum, ſed & quam late marca in uſu fuit, per Germaniam, Belgium, Angliam, Galliam. Continebat autem ab initio ſelibram, ſive octo uncias argenti puri, ut plerisq; viſum eſt, (alij enim aliter nonnihil ponderant & æſtimant) qvanti olim annua hominis alimentatio conſtitit, & qvanti etiam *ortarium* ſive portio fundi jugerum, nobis **Ortsland** venderetur. Eandem vero mihi rationem habuiſſe marca videtur, quam *As* Romanus, excepto valore, quod hæc argentea, ille æreus eſſet, hæc octo tantum, ille duodecim uncias contineret. Sed ut ſub aſſe fuerunt, *ſemiſſis, triens, dodrans, ſextans,* ita ſub marca *ſemiſſis* tantum & *octans,* quæ viciſſim ſub ſe partes habebant: Se-

miſſis

L. II, De poena pecuniaria, et veteri moneta.

missis dimidium marcæ fuit, *octans* octava pars **öre** nominata, ab Anglis procul dubio accepta, quod nomen hodie licet ipsis inusitatum, olim tamen in usu fuisse satis constat, nisi forte primitus hinc à *Danis* eò transvectum est. Idem autem quod *uncia*, & ejus ponderis etiam fuit *ora*, ut supra dictũ. Ora. Cæterum *octantis* partes fuerunt, *semissis*, *triens*, olim & *sextans*, hodie etiam *quadrans*, cujus tamen in legibus vetustis vestigium & nomen non extat: apparet nuperum & Germanicum esse ex nomine, quod primitus quadrangulari forma cusum fuit, **Fyrick**/ & quia ex ære puro fuit, nobis etiam ex eo, ejusq; colore **Blåmeßing** dictus. *Sextantis* vero usus colligi potest ex cap. 5. **i Råffst. B. i Östg. L.** *Semissis* vero, cujus nuper maximus usus, mentio fit Cap. 36. **i Manhelgz B. i UpL. L.** & cap. 11. **i Tiufwa B. i L. L.** nobis hodie *dimidium oræ* nominata, **Halföre**/quæ tamen olim minus in usu fuit, ut colligi potest ex cap. 8. **i Sårm. B. m. w. i L. L** præterquam quod rarissima ejus quoq; in jure vetusto mentio fiat. *Trientium* vero maximus & vulgatissimus usus, hæc enim moneta in jure notissima, omnibus seculis celebratissima fuit, juxta marcas & oras **Ortugh** nominata, id est

Octans. Semissis. Quadrans

Sextans.

Triens.

 portio,

protio oræ, vel potius, ut jura vetustissima habent, **åttungh**/ id est, *octans*, quod scilicet octo in se pecunias ex minutissimis contineret, non vero ab **ort**/ ut quibusdam visum, cum illud *quadrantem* significet, hæc enim ut dictum est, triens oræ, non quadrans fuit. Hujus vero trientis partes vicissim *octantes* erant, octo enim pecuniolæ, ut modo dictum, trientem oræ constituebant, ut pars essent vigesima quarta oræ, centesima decima secunda marcæ. Postea vero, manente trientis puritate, cum minutulæ illæ pecuniæ vilescere cœpissent, duodecim, imo & tredecim ex his minutioribus

Pecuniolæ. *Ortugam* constituisse videntur. *Penningi*, minutissima monetæ nostræ species, à pecunia procul dubio vocati, pecuniæ enim nomen tantum æri dabatur, cum nummi nonnisi argentei essent, sed, ut Romanis, nomen deniq; promiscuum factum est, & æs etiam de auro & argento dictum, ita hic penningi, olim peculiaris monetæ species, facti omnibus generales usu loquendi, quos in speciali significatione magis in calculis & rationibus, quam loculis, hodie habemus.

Hæc species & ratio monetæ nostræ ex legibus; superest ut decrementa ejus inspiciamus.

Nummus

1,11, De poena pecuniaria, & veteri moneta.

Nummus, ut ſermo, valet, variatur ſingulis fermè ſeculis, &, ſi ad rerum pretia attendimus, ut plurimum decreſcit, creſcente nequitia hominum. Perſpecto enim & vulgato etiam apud barbaras gentes inſigni pecuniæ uſu, avaritia noſtra & cupiditas habēdi diligentior fuit in viſceribus terræ, tam novi quam noſtri orbis, unde rerum pretia, quæ talia incrementa non habuerunt, cœperunt intendi. Sed & altera cauſa fuit ab ejus adulteratione, & impoſturâ monetariorum, quando, manente eodem pecuniæ & nomine & ſpecie, paulatim & quantitate & qualitate à ſeipſa deficeret. Quantitas primùm minui cœpit, conſiſtente adhuc puritate, id quod pecuniolæ *Sigtunenſes* teſtantur, quas *Olaus Petri* ſe vidiſſe aſſerit, quarum quatuor partem decimam ſextam unciæ conſtituebant, ſeu ſesquilibellam Romanam æſtimatione hodiernæ monetæ, **ett halfft qwintijn**/ ut marca, quæ initio ſelibris ſeu octo unciarum, vix tum eſſet unciarum trium. Qualitas verò admixtione æris paulatim etiam deterior evaſit, quod præcipuè exteris imputandum, quorum minuta moneta juxta noſtram valuit, non ſine ingenti incolarum damno. Monetam enim ejusdem nominis,

non pretij invexerunt, quæ cum aliquandiu pari valore recepta esset, tandem deprehensa fraude, discrimen poni cæptum est, ac primum quidem inter marcam selibrem & marcam vulgarem.

Marca selibris.

Marca selibris antiqua, erat pure argentea, qualis hodie signata quidem, ad usum nuspiam extat.

Marca vulgaris.

Marca vulgaris vero altera deterior, in vulgari usu, disparente altera illa selibri, quam aut peregrini evexerunt, aut etiam argentifabri conflaverunt. Præcipue enim istis temporibus horum opificum opera suspecta fuit, qui cum pleriq; exteri essent, ingeniis nostratium nondum ad eas artes assvefactis aut in fraudem intentis, impune poterant peccare, & peccaverunt. Idcircò publicis legibus coërcendi fuerunt, cap. 2. i Kiöpm. B.L.L. VpL.L. & in constitutionibus senatorum Regni factis *Calmariæ* Anno 1474. sub pœna vivi-comburij sancitum est, ne quis opificum istorum monetam Regni conflaret. Sed nec marca vulgaris diutius in eodem perstitit pretio, quam cum, alia deteriore substituta, occasionem, & ipsa invenisset exeundi.

Marca virilis Karlgill.

Itaq; de novo differentia posita est, ut marca vulgaris, alia diceretur Karlgill / virilis seu justa: alia Kiöpgill / usualis, mercatoria vel currens.

Hujus

 1, 11, De poena pecuniaria, & veteri moneta.

Hujus usus promiscuus erat in contractibus, præcipue emptionis venditionis: Illius in solutione veteris debiti, aut ubi mulctæ executio facienda fuit, **alla laghgiäld dhe åhro karlgill**/ cap 23, **i wider B. B: i L. L.** secus quàm de jure civili Romano, ubi pecuniæ, quæ debebatur ratione delicti vel maleficij, solutio fieri poterat in pecunia currente. Marca illa virilis & justa, alioquin argentea dicta fuit; altera vero, marca numerata **räcknad eller talda**/ quia scilicet moneta minor ad ejus æstimationem, aut eius loco, adnumerata fuit. Conjectura mea est, fateor, quia in legibus nostris non inveni pecuniam appensam, per libram scilicet, sed saltem numeratam. Forte virilis illa sola fuit, quæ etiam pondus justum habuit. Confirmor in hac opinione, quia olim video etiam apud *Anglos* hanc distinctionem fuisse, ut notat *Spelmannus* in voce *libra*. Hæc sæpe exotica, illa patria & Stokholmensis, juxta quam jus authenticum Christophorianum præcipit, ut executio in mulctam detur. Marca usualis currens. **Köpgill.**

Marcarum fatum etiam insecutum est semisses ejus & trientes: ut enim hodie eodem nomine aliæ *cupreæ* aliæ *argenteæ* dicuntur, ita & olim, Orarum differentia.

aliæ eorum *viriles* seu potius *viragines* haberentur, aliæ, quasi enervatæ, *mercatoriæ* seu *meritoriæ*, quas ad usus quotidianos & promiscuos prostituebant, cum alteras illas sibi quisq; ut meliores reconderet, Cap. 1 Manhälgz B. Cap. 21. ibid: & 33, 24, 28. i VpL.L. Tale discrimen etiam in *Skillingis* fuit, quorum tamen parca, & non nisi in jure Uplandico mentio: alij eorum *legitimè*, alij *usuales* dicebantur, & videtur legitimus Laga Skilling/ triente oræ fuisse deterior, cum ex minutissimis pecuniolis tantum quatuor constaret. Fit & alibi distinctio inter pecuniolas minutas små penningar/ & pecuniolas Sveticas Swenska Penningar/ quarum tamen octo ex utrisq; trientem oræ constituebant. Videntur alteræ istæ fuisse *Germanicæ*, cum ad differentiam hæ S*veticæ* dicerentur, ut fere duplo pluris essent. Videatur cap: 7. i Kiörke B. & cap. 26. i Bygda B. i Suderm.Lagum. Item cap. 11. i Christm. B. i Östg.L.

Pecuniolarum.

Hæc de specie monetæ nostræ, ejusq; decremento, quod singulis seculis propemodum & annis factum est, excrescentibus interim, ut fieri solet, rerum pretiis; Quæ paucis jam ad singula quinq; retro secula ex jure vetusto & historiis nostris

Valor monetæ per quinq; secula.

 1, 11, De poena pecuniaria, & veteri moneta.

stris adnotamus. A tempore Divi Erici Regis ad initium imperij *Jarleorum*, id est, ab anno circiter 1160. ad annum 1250. marca pondere duplo minor fuisse videtur selibri, quo tempore quatuor boves tribus marcis æstimati fuerunt, duodecim ulnæ panni domestici unâ orâ; Tunna frumenti oræ besse, vel etiam integra ora, panis grandis pecuniola, pullus equinus gradarius, marcæ semisse, vulgaris vero aut gradatorius fœminei sexus duplo minoris, vitulus una ora, hædus, agnus, anser, oræ triente, uti colligitur ex cap 16. & 21. i Dråpm. B. 14. & 17. i ErfdaB. 11. i ChristnaB. 25. & 45. i BygdaB. juris Ost-Gothici quod circa ea tempora in usu fuit.

Tempore Regis *Magni Ladulasij* Anno 1260 & paulo post marca besse minor erat selibri, Sexcentæ enim marcæ vulgares æstimatæ fuerunt ducentis selibribus, teste *Olao Petri*, & id ipsum etiam colligi potest ex legibus *Scanicis*, ubi tres marcæ, unam argenti puri constituere dicuntur, rerum tamen pretia ferè eadem fuisse videntur, præcipuè pecoris & armenti. Porcus enim, capra, ovis, hircus, anniculi oræ triente constabant, bimi vero besse. Eqvus sex oris, equa & taurus quatuor, vacca

tribus

tribus & triente, uti colligitur ex cap. 23 & 28. I Widherboab: Iuris Uplandici, quod eo tempore edidit R. *Bergerus* Magni filius Anno 1295. Eô tempore etiam pretium agris constitutum fuit, quod præcipue in gratiam eorum factum est, qui jus *protimiseos* sive *retractus* habebant, ut *orarium*, sive portio fundi duum jugerum unâ marcâ purè argenteâ constaret, si modò emptor frumentum & canonem accepisset; sin minus, triente tantùm marcæ. In solutione verò ejus quod pro maleficio debebatur, si nihil aliud superesset, ut orarium pro duabus marcis daretur, quod postea mutatum est, & in retractu quidem pretium arbitrio agnatorum vel cognatorum commissum: In exactione vero pro debitis, quanti unquam plurimum vendi posset. Tempore R. *Magni Smekij* Anno 1350 jam marca selibris plus quadruplo melior erat vulgari, ita enim lege constitutum fuit, ut quicunq; negotiarentur in exteris, juxta singulas pretij quadraginta marcarum merces, etiam unam selibrem argenti puri importarent, reciperentq; pro ea marcas vulgares quatuor cum dimidia. Itaq; & pretia rerum nonnihil aucta fuerunt, eqvus enim mediocris, octo; præstantior duode.

1, 11, De poena pecuniaria, et veteri moneta.

duodecim, equa ſex, taurus quatuor, porcus, ovis, caper, capra, anniculi ſinguli unâ orâ conſtabant, ut colligitur ex cap. 24. i Bygda B. juris illius quod *Sudermannis* dedit & confirmavit.

Non diffitendum tamen eſt quod marca ſelibris pauld pôſt etiam Anno 1360. pluris valuerit, id eſt ſex marcis, ut patet ex contractibus ejus temporis: tempore Regis *Alberti, Margaretæ* & *Erici Pomerani*, marca ſelibris primo ſeptem, mox ſex marcis vulgaribus æſtimata fuit.

Pretia vero rerum jam intenſa, jam remiſſa, quod & ante & aliàs ſæpe poſt factũ, Anno 1375 & 1377. par boum ſelectiſſimorum ſex marcis vænibat, vacca præſtans duodecim oris, & tonna butyri quatuor marcis.] Eô tempore hic albi & groſſi erant, non peregrini tantùm, ſed & domeſtici hîc cuſi, peregrinis tamen meliores. *Albus* enim S*veticus* trienti oræ æquiparatus fuit, vel octo pecuniolis, & *Groſſus Weſt-Gothicus* ejusdem erat valoris. *Albus* vero *Germanus* ſex tantum pecuniolis æſtimatus fuit: *Gotlandicus* quinq;.

Ab Anno 1424 ad annum 1429 marca ſelibris valuit octo marcas vulgares, quo tempore & pretia rerum exſurgere cæperunt: Tonna butyri

decem marcis: Taurus ſex, ovis aut capra dimidia conſtabant. Annis proxime ſequentibus, id eſt, ab anno 1429. ad 1466 jam dimidia plus octo, marca ſelibris conſtitit, niſi quod anno 1452, aliquantulum etiam ſupra eſſet, ſed & Anno 1444, aut biennio ante, cum *Jus commune authenticum* ederetur, marca ſelibris novem cum dimidia marcis Stockholmenſis monetæ æquiparabatur, quo tempore ſex oræ *florenum* ſive *ſemiunciam argenti puri* conſtituebant. Pretia verò rerum, ut ex authentica illa colligitur, ad hunc modum ſe habuerunt. Quadrans hordei tonnæ noſtratis conſtabat triente oræ, *ortuga* ſcilicet, quæ pars eſt, ut ante dictum, vigeſima quarta marcæ; hædus, agnus, anſer, paulo plus quam ſemiſſe oræ vel triente: quæ pretia tamen ex jure antiquo transſumpta videntur; Veriſimile enim eſt aliquantulum ſupra fuiſſe; annua tamen hominis alimonia nonniſi trium marcarum fuit, & hoc tamen luculentum & liberale [illegible] fuiſſe, colligi poteſt ex cap. 27 & 31 i Jordab. i L. L. quippe quod parentibus debebatur. Tres ergo marcæ faciebant mihi eo tempore, vel octodecim tonnas frumenti, vel viginti quatuor juvencos, vel ſeptuaginta capras vel oves, vel deniq;

1, 11, De poena pecuniaria, & veteri moneta.

niq; argenti puri uncias fermè ſeptem. Fuit ergo mulcta pecuniaria, quæ à jure noſtro Chriſtophoriano imponitur, pro noſtro quidem tempore levis: pro iſto autem graviſſima, & propè eſt ut dicam iniqua, niſi ea rerum fuerit copia, ut tam vili conſtarent, quod mihi tamen non facile perſvaderetur.

Sub initio regiminis Guſtaviani, id eſt, Anno 1520. præterpropter tonna frumenti, tritici duodecim oris vænibat, ſiliginis octo, totidemq; pondo vel libræ butyri viginti, & tamen conqueritur in literis Apologeticis ad ordines Regni, de difficultate ſuorum temporum rerumq; omnium caritate, commemorando felicitatem ſuperioris ſeculi, in quo pretia rerum triplo minoris erant. Alterum jam à Guſtavo primo ſeculum eſt, in quo pretia plus quam decuplo creverunt, & quorſum tandem cadent, exhauſtis & noſtris & *Indiæ* & *Africæ* montibus, niſi partem vel maria vel viſcera terræ iterum auferant & abſcondant.

Ut pecuniæ ita & veterum menſuræ aliqua ratio habenda eſt: neq; enim ſemper executio facta eſt in pecunia, quæ rara, quamvis pœnæ fere omnes pecuniariæ, ſed in pecore, eſculentis, fru-

mento, utenſilibus, auro, argento, cupro, ferro, pannis laneis & lineis, & aliis ejuſmodi, quæ ex cultura ſoli vel re pecuaria hic proveniunt, aut induſtria parantur, & menſurari ſolent, vel ad pondus vel ad cavitatem vaſis alicujus, vel ad utrumq; ſimul, vel etiam ad extenſionem in longitudinem vel latitudinem, excepto enim pecore & utenſilibus, quicquid in ſolutum dari debuit, per aliquam harum menſurandi rationem ad æſtimationem pecuniæ venit, arida & liquida per vaſa numerabantur & æſtimabantur, ut frumentum, mel, cerevisia, piſces ſaliti, &c. quanquam nonnunquam etiem ad pondus, præcipuè in magna annonæ caritate, ut piſces & frumentum. Frumenti vero menſura maxima & ſumma, ut apud Romanos, *Modius* fuiſſe videtur / Spann; ac proportionem quandam habuiſſe cum ora noſtrate, & quoad diviſionem ſive partes, & quoad valorem. Ut enim ora continebat ſub ſe trientes, ſemiſſes, quadrantes, nummulos, de quo ſupra: ita & modius has ipſas partes habebat, non quod non plures eſſe poſſent ſub modio menſuræ, ut apud Romanos, *ſextarij*, *heminæ*, *acetabula*, &c. ſed quod non plures apud nos in uſu eſſent: quilibet

1,11, De poena pecuniaria, et veteri moneta.

bet ergo modius continebat in se duos *semodios* vel *semisses* **Halffspånn**/ deinde tres *trientes*, quorum quilibet, ut erat, ita & dictus fuisse videtur **Tröö**/ cujus mensuræ & nomen & usus, & hodie superest in *Vallibus orientalibus* & *occidentalibus*, & per totum illum districtum ubi leges *Dalicæ* in usu fuerunt, in quibus hujus nominis fit mentio, in aliis ignorata vel omissa, nisi quod mensuram ipsam tamen, sed alio nomine habeant, & à Germanis **Skieppor** nominant, ut in *WestroGothia* & *Smolandia*. Hinc *quadrans* est, quarta scilicet pars modij, & ideo nobis etiam **Fierding** dicitur, quod nomen etiam hodie vulgo retinetur, quamvis cum mensuratio fit per tonnas, ejus non quarta sed octava pars sit. Etsi enim tonnarum in antiquo etiam jure fiat mentio, quæ duos in se continet modios, videtur tamen modius maximam & primam mensuræ rationem habuisse, fundamentum quasi & basis, proportionatus, ut ante dixi, ad oram & ejus partes, etsi valor interdum, jam supra, jam infra esset, prout annona vilior aut carior, *Quadrans* verò in se continebat *sextarios* quatuor, nostrâ lingvâ **Faat eller Kappar**; tantundem enim sunt; quilibet vero *Sextarius* continet in se sesquialterum

ſcil. unum cum dimidio *cantharum*, ut nos nominamus, ut *Romani in libram.* ⁊8 Quod paulò plus eſt quam *hemina* Romana, & exactè reſpondet nummulis ſive pecuniolis noſtris, quorum viginti quatuor oram conſtituunt, ut ſupra dictum, & totidem canthari modium noſtratem. Minor enim menſura quamvis dari poſſit etiam in frumento, ſub numerationem tamen non veniebat, metiebantur enim largè & cumulativè, non ut alibi aut hodiè, exactè.

Hæc autem quamvis ad cavitatem vaſis numerarentur, ut ſupra dictum eſt, frumentum ſcilicet, piſces ſaliti, cereviſia, mel, vinum, nihil tamen obſtitit quo minus etiam non ponderarentur. Verius enim tunc pretium adæquari potuit, ut etiam hodiè fit, ubi in exigua copia aliquid horum venditur. Sed aliæ merces, ut æs, aurum, plumbum, & metalla omnia graviora & vilia ponderabantur ad *ſtateram.* Maximum autem pondus erat apud nos, *Norvegos* & *Danos*, quod continebat quatuor *Centenarios*, ſive libras nonaginta ſex, ſive ut noſtrates loqvuntur, **Skieppundh**/cujus vigeſima pars erat ſedecim vel ut alibi, duodecim librarum, vel etiam viginti quinq;, vulgo **Lißpundh** / non

libram

1,11, De poena pecuniaria, et veteri moneta.

enim æquè ubiq́uè hæc menſuratio exactè ad libram fiebat, ſed aliter alibi, prout etiam libra non ubiq́; eandem rationem habuit. Domeſtica enim ponderatio, quam ſibi quisq́; domi habuit per ſtateram, quæ quatuor centenarios continebat, non ſibi par ubiq́; fuit, quemadmodum nec hodie, ſed alibi viginti quatuor, alibi ſedecim, alibi duodecim libras continebat, ut etiam hodiè fit pro diverſitate locorum, & prout quisq́; princeps ſtateras ſub ſuo imperio ordinavit, juxta quas ejusmodi merces ponderari jubet. Itaq́; de his certum aliquid decerni non poteſt, ſed relinquendum conſvetudini & uſui provinciæ, qui ut hodie, ita etiam olim variabat. Apud nos duo tantùm genera maximorum ponderum fuerunt **Skieppund** & **Liß-pund**. Minimum vero in libris, ſeu ut noſtrates vocant, marcis, quæ marca tamen aliquantulum pluris erat quam libra. *Germani*, præſertim ſuperiores, ad *centenarios* pondera exigunt, **Centener/** quorum unus centum marcas ſeu libras continet. *Norvegi*, alibi & *Dani*, ſtateras ſeu pondera habent ſexaginta librarum, vulgo **wægh/** quibus utuntur in piſcium, præcipuè toſtorum, venditione, quorum uſus in jure noſtro non extat.

LIBER

LIBER SECUNDUS.

PARS PRIOR, DE CIVILIBUS.

De

Jure personarum & rerum, & causis civilibus & criminalibus.

CAP. I.

De

Nuptiis & jure conjugum.

ARGUMENTUM.

Conjugium, fons civilis societatis. Maritæ olim raptæ. Vestigia ejus moris in legibus modernis. Fœminæ nostræ sub perpetua tutela. Aliquando tamen tutrices. Ætas conjugij pro fœminis, pro viris. Ætas militaris. Gestatio armorum. Sponsalia. Dos & ejus necessitas. Dos nostratibus duplex Omyndh & Vrgiäff. *Donationes propter nuptias. Firmitudo contractus conjugalis. Convivium nuptiale, ejus apparatus & mores. Comites sponsi & sponsæ. Obsides. Formula elocandi. Convivarum numerus. Donationes. Lectus genialis & concubitus. Dotalitium sive* Morgengavium, *ejus ratio & quantitas. Ceremoniæ circa dotalitij promissionem, Nobilium, plebejorum. Vestes nuptiales. Jus umbrarum & ludionum. Privilegia convivarum. Formula elocandi explicata. Bigamia. Nomina uxoris. Jus ejus in bonis viri.*



Xposita sunt hactenus generalia, quæ ad judiciorum constitutionem pertinent, quoad personas tam judicantes, quam litigantes, tum modos procedendi, probandi, judicandi & exequendi. Superest ut jam

illa

2, L, 1, De Conjugio.

illa explicentur, circa quæ lites potiſſimum verſantur, & quid juris ſuper illis à majoribus noſtris fuit conſtitutum.

Sunt autem civilia vel criminalia prout cauſæ vel actiones, quæ intenduntur, quibus actor, quod jure ſibi debetur, exigit, vel emendationem, aut pecuniam, vel pœnam delicti, infamiam, exilium, mortem aut corporis aliquam inflictivam.

Veteres à connubio ſuas exorſi ſunt leges, quod illis fons eſſet, cui originem debemus civilis hujus ſocietatis, quæ eſt inter maritum & uxorem, parentes & liberos, dominos & ſervos. Primo ergo loco leges & mores veterum nuptiales inſpiciamus.

Nihil olim glorioſius fuit quam bello & raptu more *Laconum* maritari, quare qui hoſti aut inimico ſponſam, uxorem aut filiam ereptam ſibi copulaſſet, egregium & viro dignum patrâſſe facinus viſus eſt, celebratus laudibus, quarum plenæ ſunt hiſtoriæ & cantilenæ *Scaldorum* vetuſtæ. Vis ea poſtea lege repreſſa fuit: cap. 1. i ErfdaB. i VpL.L. **Madir ſkall konu bidia och ey med wåld taka: han ſkal godh wilia thera atlijtha.** Sed tamen ſi ſemel promiſſa & deſponſata denegaretur, Mos veterū maritandi.

etiam

etiam rapi & per vim capi fas fuit, quo in casu, impunè fores frangere, verberare, etiam necare licuit, si aliter obtineri non posset, cum è contrario illi qui obsisterent, duplicatione pœnæ ordinariæ plecterentur: **Och heete sedan the Konu laghtakin och ey rantakin**/ id est, *dici debet legitime capta, non vi rapta*; qui enim jure sibi concesso utitur, & facit id quod leges permittunt, nec damnum dedisse, nec vim intulisse intelligitur.

Vestigia ejus moris.

Tutores

Fœmina autem à tutore peti debuit, & quoad nubendi licentiam, sub perpetua fuit tutela, perinde vidua ut virgo. Tutor autem vel nubendi author (**Gifftomadir**) pater fuit, post illum frater majorennis modo, deinde avus patruus, avunculus, aut proximus ab illis, & cæteris paribus, agnatus non cognatus. De jure tamen *Westmannico*, vidua sui juris fuit, quamvis in consilium admittere teneretur patrem & propinqvos. Ius Uplandicum & Helsingicum matri & sorori hoc juris tribuunt, ut alio propiore non existente, super nuptiis dispensent filiæ vel sororis.

Veteres *Gothi* in *Hispania* fœminam juniori viro nubere non permiserunt, cauti scilicet, ne fine conjugij, generatione sobolis, defraudarentur.

De

 2, 1, 1, De conjugio.

De nostro domestico jure, ætas conjugio concessa, nullo alio, præterquam *Helsingico*, perinde ut *Romano*, ad annum decimum secundum terminata est, sed in fæminis: adolescentibus enim nec militiam nec Venerem ante decimum octavum: *Uplandicum* non ante vicesimum permittit, eo enim demum instruuntur gladio, securi, casside, scuto, arcu &c, Tunc primum in confessum armatos venire fas fuit, tunc primum viris annumerari, *hæc apud illos toga, hic primus juventæ honos, ante hæc domus pars, tunc Reipublicæ videbantur.* Nec dubium est, quin, ut *Tacitus* de *Germanis*, in ipso concilio, vel principum aliquis, vel pater, vel propinqvus, his armis cum ritu aliquo juvenem ornaverit, cum & hodiè in nobilium aulis hunc morem servent, ut suffecturum in conventu aliquo pauca de virtute præfati, percussâ prius mala, gladio donent. Ex quo autem publice hoc auctoramentum consecuti fuerunt, nihil neq; publicæ rei neq; privatæ, nisi armati egerunt, adeo quidem ut etiam ad sacra facienda cum armis venirent, quæ templum ingressuri in atriis ponere solebant, unde etiam hodiè atria illa, armorum ædes nuncupantur, **wapnhuus**. Ad judiciorum etiam conventus armati veniebãt,

Ætas conjugij.

cc

Ætas militaris & ejus auctoramentum.

 quod

quod tamen posterioribus seculis, præterquam in hominibus militaribus vetitum, nec tamen planè obtentum fuit. *Gustavus Primus* legem tulit & interdixit, ut nec ad judicij, nec ad Ecclesiæ, nec mercatus frequentiam armati venirent, quod tamen nec in totum obtentum, alibi etiam, adhuc hodiè, ad minimum bipennem quilibet rusticus secum adfert.

Sponsalia.

Sed hæc obiter; à Marte ad Venerem iterum veniamus. Postquam fœminæ & tutoris consensus impetratus fuit, sponsalia sub testibus ab utraq; contrahentium parte binis celebrata fuerunt, & dos sponsæ constituta & æstimata. *Dotem*, inquit Tacitus, *non uxor marito, sed uxori maritus affert*: Sic olim & apud *Sveones* fuit, etiam hodie, de more & jure communi, Lege enim cautum non est, ut uxor viro, sed vir uxori dotem adferat, quod *Morgengavium* nuncupant, de quo postea.

Dotis constitutio & Promissio.

Dotis necessitas.

De jure autem *Gothico* dos pro fœminis requisita fuit & in tribus constitui debuit: In lecticalibus, in fundo & servis, in auro & argento, & ea quidem necessitate, ut si non vivæ daretur, mortuæ hæredibus constitui deberet, & tam ducenti uxorem filio, quam nubenti filiæ: Hoc omyndh

Dos duplex

vel

2,1,1, de conjugio.

vel **hemſölgd**/ illud **vhrgiäff** vel **hemgiäf** dictum fuit: illud ut dixi filiæ, hoc filio familias dabatur, ſed nonniſi reſpectu conjugij ad familiæ onera ſuſtinenda, & quidem reſpectu ſobolis, illa enim deficiente quaſi ſpe nominis ſublata, ne in aliam familiam deveniret, redibat ad datorem, aut ejus hæredes ad tertiam usq; generationem; Si vero ex illis non ſupereſſent, dabatur gradu proximis; prole autem ex duobus conjugiis ſuperſtite, in ſtirpes, non in capita, diviſa fuit, unde ſæpe uni fœminæ tantundem datum eſt, quantum octo filiis, ſive filio ſive filiæ data fuit. Mortuo altero conjugum, ad collationem inter hæredes defuncti vocabatur, & ſi proles defecit, tota, ut dictum eſt, revocata fuit: Nihil qvicquam enim ex ea ſuperſtes ſibi vendicare poterat. Quin imo, ſi quid forte à viro in uxorem commiſſum fuit, dignum caſtigatione legis & pœnâ pecuniariâ, pars mulctæ, quæ aut actrici uxori læſæ debebatur, doti ejus accreſcebat: doti præterea accreſcebat, quicquid conſtante matrimonio mulieri aut donatione aut hæreditate obveniebat: Et quamvis dos reſpectu liberorum data fuit, tamen poſt mortem mariti in diviſionem cum liberis non veniebat, ſed

mansit mulieri integra & superstes, nulla alia conditione à marito alienanda, quam fundus allodialis, videlicet, si aut fame premerentur, nec alia superessent media vitæ sustentandæ, aut mulier in captivitatem ab hostibus abducta, redimenda esset.

Arrhæ sponsalitiæ.

Post dotem promissam & constitutam, arrhæ sponsalitiæ non sponsæ, sed ejus tutori, vel sponsori dabantur. Interim etiam sponsæ aliquid datum est: præcipue vero eqvus frænatus & vestes, si ditior esset, aut etiam boves: *munera*, ut *Tacitus* ait: *non ad delitias muliebres quæsita, nec quibus nova nupta comatur.* Olim enim præter eqvum & boves etiam arma dabant, quod & T*acito* non sine commendatione observatum. *In hæc*, inquit, *munera uxor accipitur, hoc maximum vinculum, hæc arcana sacra, hos conjugales deos arbitrantur, ne se mulier extra virtutum cogitationes, extraq; bellorum casus putet, ipsis incipientis matrimonij auspicius admonetur, venire se laborum periculorumq; sociam, idem in pace, idem in prælio passuram ausuramque; hoc juncti boves, hoc paratus eqvus, hoc arma data denunciant.*

Contractus hic futuri conjugij raró aut nunquam irritus fuit, quod magis levitatis & inconstantiæ notam inureret, quam quod cum aliqua

repu-

repudiati ignominiâ foret, neque enim tantum, si in causa Sponsus, donationes suas perdebat; si Sponsa, eas referre necesse habebat; sed insuper etiam mulctabantur, & præterea cum duodecim sacramentalibus publice attestari & notum facere debebant, se nulla ipsius aut generis ejus ratione eò fuisse compulsos: **At hon weet hwarcken last eller lythe á han/ elli á ätt hans/ mehra nu/ än tá han badh och fäste.** In potestate autem & arbitrio sponsi erat, quandocumque vellet, nuptias celebrare; secus enim quam hodie, in ejus ædibus, ejusque impensis fiebant. Tenebatur tamen sex antè septimanis tutoribus sponsæ denunciare, quò paratiorem traderent, pridie autem aut etiam perendie, pro distantia loci, diei nuptialis, sponsus propinquos & amicos suos congregabat, quos pro sponsa advehenda emitteret, quorum comitatui præerat ex honestioribus aliquis, quem jura **förwijsta Man** vocant, & officium ejus in eo constituunt, ut dotem nomine sponsi recognoscat & recipiat, & sponsam securam & tutam in familiam sponsi reponat, adeo quidem, ut nisi sponsam integram & inviolatam in lectum ipsius adeoque sinum deponeret, ipse cum

Repudium

Nuptiæ.

cum comitibus suis gravi pœna plecteretur: duplicatione scilicet mulctæ quæ in homicidio vulgari debebatur, ob sponsam; tum vero ob liberos, quorum generatio sic impedita vel interrupta judicabatur, triplicatione: filium enim 40, filiam autem 80 marcis æstimaverunt, qui quia nati non erant, sed in potentia tantum existerent: **Vskabarn** dicebantur, id est *liberi*, scilicet *sperabiles*. Quare nihil mirum est, si quod a vetustissimis seculis usitatum fuit, armati venirent, & qui, cum in domum sponsæ venissent, obsides darent & acciperent. Post hos utrinque datos et acceptos, tutor sponsæ arma et ephippia sub clavium custodia servabat: tunc dos prius constituta extradita fuit, deinde symposium institutum. Postridie sponsa deducta fuit in domum mariti, sequebatur illam tutor cum aliquot familiaribus, cumprimis verò fœmina gravitate morum conspicua, ceremoniis et ornatui sponsæ præfecta (**Brutti Frammo**) et puellulæ aliquot cognatæ vel agnatæ, quæ virgines sponsæ dicebantur, **Bruttimöö**: Copulatio autem tunc primum à tutore facta est, consecratio vero ab Ecclesiæ ministro: nihil ritè fieri potuit nisi præsente tutore, aut qui ejus locum

supple-

ſuppleret, absq; eo enim ſi conſecraſſet ſacerdos, graviſſima pœna puniebatur tanquam ſi cædem feciſſet. Copulatio autem hâc ſolenni verborum formula à tutore peragebatur: **Jagh giffter tigh min Dotter (Syster) til Heders och Hustru / och til halfwa Sång / och til hwar tridie penning / som i ågen och åga fåån i Lööſzöhron / och til allan dhen rått som Vplandz Lagh åhru / och then H. Erich gaff / J Nampn Faders / Sons / och then Helige Andes** /id eſt, ut verbum verbo reddam: *Conjūgo tibi filiam (ſororem) in honorem, & uxorem, in jus dimidij thori, ~~& clavium~~, & trientis in bonis omnibus acquiſitis & acquirendis, juxta jura Uplandica, & ea quæ dedit divus Ericus, in nomine Patris &c.* Hæc conjunctio facta eſt olim excuſſo per ferrum & ſilicem igne: mutatum poſtea & faculæ ac cerei prælati, ſed & alios alibi ritus habent, poſt quos tamen ubiq; ſympoſium alterum & ſummum à ſponſo inſtitutum fuit. Duo enim legitima fuerunt, id eſt, à jure non conceſſa tantùm, ſed & juſſa; primum ad dotem, alterum ad nuptias: ad hoc autem tenebatur ſponſus, ſub mulcta annuæ alimoniæ pro ſingulis, invitare quotcunq; ipſi aut ſponſæ intra tertium gradum ſangvine aut affinitate eſſent conjuncti: Leges

Convivium nuptiale.

ſumptuarias dixeris, ſed quæ ſumptus jubeant, non vetent, non enim ſuffecit tot invitaſſe & liberaliter tractaſſe, niſi eosdem etiam donis proſequerentur, quæ jura etiam injungunt, ad genium ſcilicet priſcorum temporum, à quorum conſvetudine nec hodiè quidem in totum receſſimus, niſi quod more poſtea inductum eſt, ut aliquid novis nuptis ab hoſpitibus convivis retribuatur.

Nullæ autem donationes fiebant ante concubitum, nec ulla etiam inter conjuges bonorum confuſio, ante confuſionem corporum: Itaq; ſi alter conjugum poſt conſecrationem & copulationem legitime factam, ante noctem concubiam deceſſiſſet, nihil juris ſibi ſuperſtes ad diviſionem vendicare poterat, in quod tamen, ut modò ex formula copulandi dictum eſt, fuit conjunctus. Finito primæ diei ſympoſio, ſolenni ritu & ceremoniis lectum genialem cum cantu & tripudiis, & cum fauſtâ convivarum acclamatione ingreſſi ſunt. Poſtridie dotalitium promiſſum, nobis *Morgengavium* dictum, quod mane poſterioris diei daretur, & quidem ob virginitatem; hac enim demum conditione de jure *WeſtGothico* exigi potuit, niſi concubitûs promiſſionem & nuptias antever-

Dotalitium ſeu *Morgennatica.*

tevertiſſet; qua enim fronte fœmina peteret, cum ejus rei quapropter dari ſoleat, copiam jam ante gratis feciſſet? Honeſtæ tamen viduæ etiam datum fuit, pari enim jure cum virginibus fruebantur.

Dotalitium autem datum fuit in mobilibus vel immobilibus, allodialibus vel acquiſitis, nonniſi certa tamen & à jure definita quantitate: illam ſi exceſſiſſet, irritum & revocabile erat ab hæredibus viri, niſi ſponte in id conſenſiſſent. Quantitas hæc, quoad pretium, pro ſingulis ordinibus determinata fuit: melius *Gothi* in *Hiſpania* pro ratione facultatum illam definiverunt, ut non excederet decimam ſubſtantiæ partem, ſive à viro daretur uxori, ſive viro, loco dotis, à tutoribus fœminæ. *Morgennatica* autem hæc non ſine ſolennitate aliqua & ceremoniis promiſſa fuit. Nam ſi fundus aut prædium dabatur, duodecim teſtes, ſive ut jura eos nominant, firmatores requiſiti fuerunt, quemadmodum in omni fundi alienatione quæ modo legitima cenſeretur. Nobilium enim nuptiis etiam haſtam vexillarem complicatam inferebant, deponebant ad pedes ſponſæ, elevabant, ac demum finito de *Morgennatica* ſermone & promiſ- Ceremoniæ in dotalitij promiſſione

 ſione,

ſione, ante novos conjuges à duodecim illis firmatoribus contactam eijciebant, quem morem etiam hodie ſervant, videntur enim haſta uſi, loco baculi quem firmatores duodecim in omni contractu contingere debebant, uti alienatio fundorum facta fuit, ſive per emptionem, ſive mutationem, ſive hæreditariam diviſionem, ſive deniq; donationem, ut in nuptiis, de qua re infra in loco de *contractibus*. Plebei vero alio ritu terminant. Ingreſſus enim domum convivalem ſponſus cum pronubo ſuo, ſumpto poculo, quod maritale vocant, ac paucis à pronubo de mutato vitæ genere præfatis, in ſignum conſtantiæ, virtutis, defenſionis & tutelæ propinat ſponſæ, ac ſimul *morgennaticam* promittit, quod ipſa grato animo recolens, pari ratione & modo, paulo poſt mutato in uxorium habitum operculo capitis, ingreſſa, poculum, uti noſtrates vocant, uxorium leviter delibans, amorem, fidem, diligentiam & ſubjectionem repromittit. Donationem ad hunc modum factam, cum olim inſtrumentorum publicorum uſus rarus eſſet, inter plebejos fere nullus, mulier quolibet decennio coram judicio vel Eccleſia publicare tenebatur, quod præcipue tamen apud *No-*

ricos

ricos factum fuit. Quicquid autem ſic datum fuit, non tempore vitæ, aut ad uſum fructum tantum manſit, ut in Regum, principum, hodie & nobilium *morgennaticis*; Sed abſolute, tranſlato plene dominio, ut mulieri eſſet facultas de ijs pro lubitu diſponendi, eaq; mortua, ab inteſtata tranſiret ad ejus hæredes. Si vero mulier ante virum deceſſiſſet, fiebat illud, ut ante fuerat, viri; in caſum enim diuturnioris vitæ datum fuit. Itaq; ex eo nihil ſibi ſucceſſores mulieris, ut in triente mobilium vendicare poterant, niſi ſi liberi ſupereſſent ex eo matrimonio: ijs enim hæc donatio ceſſit, & inter materna quidem, non vero paterna bona, adeo ut invitis liberis, nec uſum fructum quidem lucraretur pater, quod hactenus in uſu fuit. De jure *Uplandico* donum matutinale, vivo marito, rationem habet uxorij peculij; mortuo, trientis; confunditur enim & dividitur. Itaq; ſi in bonis mobilibus datum fuerit, non video, quid mulier acquirat, quod non alioquin jure matrimonij ad ipſam & ejus hæredes eſſet perventurum, ex eo enim quo nupta fuit, ſtatim jus illud trientis bonorum mobilium viri conſecuta eſt, niſi forte ex bonis mobilibus extra trientem hæc donatio facienda

fuit. Si vero in allodialibus detur, lucratur, contra jus commune, quod ejusmodi alienationem non promiscue admittit, sibi & suis quicquid datum fuit.

Moris præterea erat, ut diebus nuptiarum in honorem sponsorum, quaterni utrinq; præter ipsum sponsum, vestes nuptiales gestarent, singulari colore & forma, nulli postea usui futuras, quas ideo peractis nuptiis, promiscue donare, vel moris erat vel religionis; De hisce postea lege cautum fuit, ut potius in usum Ecclesiarum aut monasteriorum, quam ludionibus aut citharœdis darentur. Hos enim majores nostri, ut inertes & voluptatum opifices, qui vires tam animi quam corporis frangerent, extremè odisse videntur. Quare sive pulsi, sive spoliati, sive cæsi essent, pessima erat eorum conditio, & pœna ob id fere nulla, ut uberius postea monstrabitur in loco de injuriis & homicidiis.

Ceterum ritus hi, ut olim, ita & nunc, pro diversitate provinciarum, variant. Alibi adhuc in usu sunt, alibi obsoluerunt. Videamus porro effectus conjugij, quoad potestatem maritalem & communionem bonorum, qui in formula su-

Effectus cõjugij seu consequẽtia

pra

 21,1, De conjugio

pra memorata optimè comprehensi extant: datur enim fœmina viro in honorem & uxorem, ut nomen sit & honestatis & voluptatis, nomen dominæ domus sortita est proprietate lingvæ nostræ, non servæ. Reverenter ergo habendam, & ut membrum proprij corporis amandam & fovendam jura præcipiunt. Et vir uxorem verberans ex malitia, invidia, zelotypia, vel insania aut ebrietate, duplicatione pœnæ ordinariæ punitur: Castigare tamen ob culpam permissum impunè, sed si forte in castigatione modum vir excesserit, pœnam non corporis inflictivam, sed juris privativam leges imponunt; non enim hic eventū, sed propositum spectari voluerunt, quod in uxorem præsumptum non fuit, nisi evidenter probatum. Quamvis itaq; de vita, ut parricida, non periclitaretur, præter trientem tamen & legitimam, quæ hæredibus uxoris cessit, etiam trientem ex suo, quod reliqvum erat, hæredibus uxoris, præter mulctam, persolvebat. Datur etiam uxor in jus dimidij thori, in quem nec adultera, nec concubina, nec altera conjunx induci potest.

Honestas nominis uxorij.

Castigatio uxoris.

Jus dimidij thori.

Adulterium de omni jure & semper prohibitum fuit, de cujus pœna postea. Concubinatus

Concubinatus.

tus

tus olim hic in usu & concessus erat, sed talis qualis proprie fuit, conjugium scilicet cum propria serva. In illas enim nihil non juris domini habebant, & liberos ex iis susceptos pari fermè loco cum reliquis habebant. Postea depretiati sunt ad conditionem matris: **Ingastädi är noket barn/ mödirnur frillobarn/ vthan ther i thessa malinu/ nu Bonde hafwer Hionalagh wedh ambutt sina.** Quare in jure OstGothico differentia est inter liberos ex concubina, scorto & adultera natos, **Frillobarn/ HuuskonoBarn och HoreBarn.**

Bigamia. Bigamiæ vero in vetustis legibus nulla mentio, vel concessæ vel denegatæ. Constat tamen ante Christiana sacra hic etiam ut alibi polygamiam in usu fuisse: *Quisq;* (inquit *Adam Bremensis* de *Svecis*) *secundum facultatem virium suarum, duas aut tres aut amplius uxores habet & filios ex tali conjugio natos legitimos habent*: id quod etiam ex historia *Haraldi Pulcricomi* Regis *Norvagiæ* constat, & nostri *Olai* **Skottkonung**/ quantumvis Christiani. Iuxta uxorem enim splendidis natalibus ortam, etiam aliam habuit natione *Wandalicam*, conditione servam, ex qua filiam *S. Olao* Regi *Norvegiæ* dedit. Et procul dubio hæc uxorum pluralitas gentem in immensum

 21,1, De conjugio.

ſum multiplicavit, unde tot examina ejus, diverſis temporibus hinc exierunt. Sed pluralitas illa paulò pòſt in religione deſijt, ſibi jus dimidij thori beneficiô novæ legis, tantum unâ vendicante, nec dubium tamen eſt, quin quod *Tacitus* in commune de *Germanis* aſſerit, quod *ſoli barbarorum ſingulis uxoribus fuerint contenti,* hic quoq́, ut plurimum antea obtinuerit.

Datur etiam uxor in jus clavium, quæ poteſtas etiam lege duodecim tabularum data fuit, itaq́; ubi repudij libellum miſerunt: *Res tuas tibi habeto: Tuas res tibi agito,* una etiam claves ademptæ ſunt, & de jure noſtro *Uplandico* datur mulieri actio clavium raptarum à viro, & de jure *Danico* uſucapitur ex concubina vel conſvetudinaria uxor, ſi modo per triennium cum viro uno non cubuerit tantum, ſed & claves ipſius geſtaverit. Ab hac clavium geſtatione, quæ diligentiam & fidelitatem præſupponit, quidam uxorem noſtra voce **Huſtro** dici volunt, quaſi fidem vel fidam domeſticam. In jure *OſtGothico*, *Norvegico & Iſlandico* **Huußfrea**/id eſt, *Venus domeſtica.* Utraq; originatio convenit, altera poteſtati clavium, altera honeſtati uxoriæ, de qua modo dictum. Additur præ-

Jus clavium.

Nomina uxoris.

Jus trientis in bonis mobilibus & acquisitis.

terea ut jus trientis in bonis mobilibus, à concubitu enim consensum matrimonij subsecuto, communio fit omnium bonorum acquisitorum & acquirendorum, quorum tertia pars mortuô maritô cedit uxori aut ejus hæredibus, quod jus tamen perdit adulterio commisso, nec in triente tantum, sed & *morgennaticâ* & dote, imo etiam in bonis allodialibus, de jure *WestGothico*; nec tantùm in hoc casu, sed etiam si virum malitiosè deserat, hæc omnia viro cedunt. Non ita de jure communi hodierno, nulla enim in iis facta est per conjugium communio, nisi tantum usus fructus. Itaq; mulier nunquam in tantum peccat, ut ea viri faciat, quorum nec constante matrimonio Dominus esse potuit: **J Lagum wärum giftes en Bonde i odel-Jord/ eller Huus/ watn wärka Hustru sina/ en och hon i hans/ uthan i alla andra Lööszöhre:** Inter bona mobilia autem fundi & prædia connumerantur, quæ constante matrimoniô acquisita sunt; ex communi enim & indiviso parta præsumitur, in quibus tam fœminæ quam viro jus est. Jura vetusta vicissim inter allodialia servos & aurum nominant. In iis enim perinde ut in fundis & prædiis

Allodialium jus hodiernum.

2, 1, 2, De jure parentum & liberorum.

prædiis communionem vetant, ut & in pecore; quod hoc pascatur in fundis & cum servis quasi cohæreat fundis ad eorum culturam.

CAPUT II.

De
Jure parentum & liberorum.

ARGUMENTUM.

Parentum cura & officium circa liberos. Castigatio liberorum & discipulorum quousq; permissa. Pœna modum excedentis. Patria potestas quanta & quousq;. Emancipationes nostratium quales. Arrogationes & adoptiones ignotæ. Liberi parentes quærebant. Ratio investigandi patrem. Pœna non invenientis parentem: Anni pubertatis & tutelæ. Curatela ignota. Tutores legitimi. Tutela dativa ignota. Custodia rerum pupillarium. Legitimatio per declarationem. Declaratio qualis. Jus declarati.

FInis & fructus conjugij, liberi sunt, quos in cura & potestate parentum esse, donec adoleverint, rerum omnis natura testatur. Cura autem parentum præcipuè constitit in educatione & defensione. Modum educandi nullæ leges præscribunt, sed cujusq; ar- Cura parentum. Educatio.

 bitrio

& Castigatio liberorum.

bitrio relinqvunt: Castigare tamen quamcunq; ob noxam permittunt, sed quomodo maritis uxores, cum moderamine. Connivent tamen, si modum parentes excesserint, & pœnam magis in juris privatione quam aliqua corporis afflictione ponunt. Præsumitur enim in individuo, quod reperitur in genere; amor scilicet sobolis & studium corrigendi non delendi. *Gothi* in *Hispania* idem etiam in discipulos & famulos extendebant, si modo in castigatione nihil invidiæ aut malitiæ intervenisset. Difficile enim judicabant non interdum modum excedere, in iis quibus severitatem correctionis & disciplinam debebant, utrocunq; tamen modo excidunt jure suo, si quid ipsis ex morte liberorum aut discipulorum in successione foret, juxta regulam juris nostri universalem: **Engin må annan sig til arfz dråpa/ dhen ågher aldre årfwa som dråper eller hans åttelågger/ hwad heller han dråper med wåda eller wilia:** unico tantum casu excepto, si infantem mater in somno oppresserit, longius à dolo videtur, quam si in castigatione modum excessisset, cum hic aliquis iracundiæ stimulus præsumatur, ibi vero nullus, nisi culpa tantum. *Saxones* etiam necessariæ defen-

21/2, De jure parentum et liberorum.

defenſionis & ignorantiæ homicidia exceperunt tanquam invita aut nulla.

Ceterum patria poteſtas de jure vetuſto ad vitam usq; liberorum durabat, non tantum naturaliter, in eo ſcilicet, quod nullo non tempore ex jure divino parentibus honos, reverentia & obedientia debeatur, ſed etiam quoad juris civilis effectus: Filius enim quantumvis uxoratus, quamdiu cum patre cohabitabat, non ſibi ſed patri acquirebat, in cujus erat poteſtate cum tota familia, adeo ut ſi quid liberis hæreditate aut alia ratione obveniſſet, iis morientibus, non pater, ſed avus ſuccederet. Patria poteſtas.

Fuerunt tamen & emancipationes in uſu, præcipuè apud *Gothos* noſtros, ubi pater filium publice & in judicio à poteſtate ſua liberabat, datis ei bonis maternis, & quantum vellet ex ſuis. Hodiè emancipatus creditur, cum aut in alienam familiam tranſit, aut propriam conſtituit. In alienam autem familiam tranſit, non adoptione aut arrogatione, ut jure civili *Romano* (hæc enim filiandi genera hîc ignota, aut jure certe non prodita) ſed per connubia, non gentilitio mutato nomine, ſed rerum ſuarum ſtatu tranſlato, acquiſito novo Emancipatio. Arrogatio & adoptio ignotæ.

jure, non priore tamen in totum perdito, quod perinde etiam fit, si propriam familiam constituat, in tantum à patria potestate liberatur, ut sibi non patri acquirat, nec tamen jus suum succedendi amittat.

Ratio investigandi patris.

Patrem autem qualitercunq; nato habere & monstrare necesse fuit, nam filij hîc patres potius quærebant, quam orbi filios. Gentem enim multiplicationi studuisse ex sequentibus patebit, & in immensum quoq; auctam fuisse, tot gentium examina, quæ diversis temporibus hinc evolarunt, testantur. Pater certus autem quærendus erat filio, nisi civitate & omni jure privari vellet. Prioribus autem seculis faciebant hoc per ferrum candens, quæ miseris via in tanta cœcitate, ut fuit, nimis dura & aspera visa. Quare alium indagandi modum jura recentiora præscripserunt. Si enim is, ex quo se gravidam fœmina asserit, neget, in judicio duodecim viros ex sua parte, & totidem fœmina ex sua nominabat: hi viginti quatuor, duos electores eligebant, & hi duo jurati vicissim sex alios, qui sex sine omni exceptione cum vicinis & domesticis ad facti veritatem eruendam obligabantur. Horum judicio Parentela omnis stetit,

& vel

 21, 2, De jure parentu et liberoru.

&vel liberatus vel condemnatus ad onera alimentationis & curam infantis. De jure *Sudermannico* causa in suspenso fuit, donec puer pervenisset ad annos pubertatis, qui si mater sua ab initio fortè causa cecidisset, nec valuisset per duodecim sacramentales verum filii patrem efformare, redintegrat filius jam adolescens, cum iisdem viris, & juramentum & causam, sed eo periculo, ut si causa iterum cadat, tanquam extraneus eijciatur è civium consortio & cœtu. Rem dixeris magni momenti, ad cujus inventionem, non secus ac apud *Venetos* magistratuum electionem, per tot eligentium ambages, veniendum sit ad electores. Sed interfuit Reip. non minus educi quam nasci liberos.

Minorennes & curatelam jura nostra ignorant, pubertatem & tutelam agnoscunt. Hanc vero decimo quinto anno terminant, quædam etiam decimo secundo, ex eo & cædes & vulnera & quidquid privilegio ætatis excusari solet, æstimatur. Alibi tamen videntur ad decimum octavum progredi, imo & vicesimum: Iura *Saxonica* ad vigesimum primum: eò usq; juvenes, & post sexagesimum, senes iterum sub tutelam reponunt. Anni pubertatis & tutelæ.

Nostris

Noſtris tamen ſenibus lex poſita non eſt, quorum auſpicijs ut plurimum res familiares adminiſtrantur, niſi quod decrepitis tamen, fundi allodialis venditio interdicatur.

Ad tutelam autem vetera & recentiora jura non uniformiter vocant. Recentiora proximum quemq; promiſcue admittunt, nullo habito reſpectu agnationis aut cognationis, niſi in tantum, ſi cætera ſint paria, quod agnatum præferant. Vetuſta vero, præcipue *Gothica*, ſemper à tutela arcent cognatos, etiamſi propiores, ſi modo agnati ſuperſunt. S*veonica* vero ad tutelam non tantum admittunt, ſed & requirunt cognatos ſimul cum agnatis, modo pari gradu à pupillo diſtent, nec viros tantum, ſed & fœminas, ita ut poſt patrem, mater ſit ante fratrem, & ante fratris filium aut patruum, ſoror & ejus maritus, præcipue quoad diſpenſationem conjugij & adminiſtrationem domus, in qua jus *WeſtGothicum* etiam pupillo ſervum libero præponit, & vernam matri, ſed nuptæ, matri tamen claves reſervantur, poteſtas etiam debita exigendi & ſolvendi, id eſt tutricem revera conſtituit, cum eam tamen alibi ſub perpetua tutela concludat. Tutelam dativam jura antiqva igno-

 2/1,2, De jure parentum & liberorum.

ignorant, itaq; si legitimi tutores, aut ætate aut furore, aut prodigalitate, aut partialitate, removẽdi sunt, succedunt in eorum locum sangvine proximi, ex sententia judicij, non vero provisione decedentis.

Res pupillares etiam mobiles & putredini obnoxias distrahi jura vetant, quasi non pretio suo sed charitate possessoris fuissẽt æstimãdæ, sive ignorantibus usuram pecuniæ, & omnis ex ea quæstus & lucri inexpertes. Itaq; non de specie tantum sed & individuo intellexerunt legem illam, qua asseritur res pupillares nec incendio nec illuvione perire posse, nec culpam tantum latam, sed & casus fortuitos & vim majorem ab eo præstandam esse, qui eas custodia haberet, & ubi non idem posset numero, idem tamen pretio esse restituendum. Res pupillares.

Arrogationi tamen vel adoptioni non dissimilis videri potest, legitimatio sive declaratio illa, quæ in *Norvegia* & *Islandia* certa conditione & ritu peracta fuit. Ut enim quis recte & efficaciter legitimari vel adoptari posset, imprimis consensus proximi hæredis ejus, qui adoptaret, requisitus fuit, quẽ años viginti aut supra natũ esse oportebat. Legitimatio sive adoptio

Deinde hi tres, legitimans, ejus proximus hæres, & legitimandus, coram janua templi, in conspectu populi, porrigente Ecclesiæ ministro librum sacrum contingebant, dicente hæc verba, adoptante; *Legitimo hunc virum vel fœminam, ut capax sit omnium rerum, quæ ipsi dono, & juris omnis in successionibus quæ adoptatis debentur.* Itaq; legitimatus vel adoptatus quolibet vicennio legitimationem suam publicabat, donec hæreditatem adiisset. Hæres autem esse poterat, non ejus tantum qui adoptâsset, sed & aliorum quibus ipse hæres esset, atq; ita judicatum in causa *Ulferi Tordi* ab una parte, nomine uxoris suæ *Gudrunæ*, & ab altera parte *Gunnari Erici* de hæreditate relicta ab avia paterna *Gudrunæ*, *Ragnildâ*, cujus filius *Hariolphus* Gudrunam & ejus sorores adoptavit. In *Dania* etiam adoptatio recepta fuit, sed filij tantum naturalis, quasi legitimatio quædam, ut capax esset hæreditatis, quæ publice & in judicio peracta, atq; sic adoptatus, patri tamen nonnisi in dimidium portionis ejus quæ reliquis fratribus debebatur, matri vero & reliquis patris agnatis aut cognatis, ut reliqui legitimi, ex toto hæres esset. Aliam quamcunq; legitimationem jura antiqua non ignorarunt tantum

2,1,3, De successionibus.

tum, sed & improbarunt. Nescio tamen annon jura *Gothica* usurparint, pro certo non facile dixerim, certa enim lege iis qui videntur adoptasse data fuit. Ut scilicet adoptatus ex libera succederet adoptanti & non vice versa, excepto tamen si quis sangvine proximior esset in primo gradu, id est vel filius vel filia, frater vel soror, pater vel mater.

CAPUT III.

De

Successionibus.

ARGUMENTUM.

JUs liberorum in successione. Successio à testatis ignota, legata tamen usitata. Testamentum item militare. Donationes etiam inter vivos, sed certæ rei & certo modo concessæ. Decimæ ex pecunia. Discrepantia juris successorij, Svedici *&* Gothici, *& utriusq; à jure civili* Romano. *Successio de jure* Gothico, *ratione sexus, gradus, lineæ. Fœminæ olim exclusæ à fratribus. Fœminæ alibi in semissem succedunt. Successio de jure* Sveonum, *ratione sexus, gradus, lineæ. Jus* Sveonum *varium & diversum. Successio respectu personæ. Adulterini exclusi. Naturales in partem admissi. Extranei post definitum tempus rejecti. Successio non baptizati. Successio in arma,* Wigharff. *Successio in certis casibus, ubi non constat qui prior vita decessit. Distributio hæreditatis: etiam debitorum.*

Jus liberorũ in succedendo.

JUri parentum proximum est liberorum, quod præcipue consistit in successionibus in jus & bona defunctorum. *Hæredes*, inquit *Tacitus* apud *Germanos*, *sui cuiq; liberi & nullum testamentum, si liberi non sunt, proximus gradus in possessione fratres, patrui, avunculi. Quò plus propinquorum, quo major affinium numerus, tanto gratiosior senectus, nec ulla orbitatis pretia.* Id revera hic fuit, ignota enim omnis à testatis successio, nisi quod donare tantum vel potius legare permittatur, idq; tamen non sine hæredum consensu, si res sit immobilis & hæreditaria avita, & nonnisi certa etiam & à jure definita quantitate. De jure tamen provinciali hodierno absolute licet, sed de bonis tantum quæsitis; non ita olim. Sano enim tantum semissem permittebant donare, valetudinario trientem: tanquam eum, qui minus parare posset, etiam minor deceret liberalitas: an quod sæpius vidissent, sanos pœnituisse, quicquid ægroti concessissent? De jure *Norvegico* quartam tantum ex bonis acquisitis, decimam vero ex hæreditariis sine consensu hæredum proximorum donare vel legare permissum fuit. Apud nos tamen in usus sacros & pios, peccatum non fuit, vel integri

Testamenta ignota.

Donationes & legata permissa & quatenus.

assis

 21,3, De successionib.

aſſis erogatione, eo ſcilicet tempore, quo aucta ſuperſtitione, bona & imperium orbis ad ſe Pontifices *Romani* trahebant. De jure *WeſtGothico*, quod antiquiſſimum eſt, nihil quidem abſq; hæredum primi gradus adſenſu legare licuit, ſed conſenſum iisdem de jure divino imperat, inhibet ſcilicet allera manu quod alterâ largitur : eodem erga ſacra zelo conceſſerunt clericis decimas, non tantum ex fructibus terræ & pecorum proventu, ſed ex pecunia defuncti hæreditate acquiſitâ. Sed hæc legata favore cultus divini olim introducta, jam dudum deſierunt. Legare hodie cuicunq; & quantumcunq; licet, ſed quod modo dictum, non niſi ex bonis acquiſitis, & quidem ruri : In urbibus enim & oppidis reſtricta ſunt, ne legitimam excedant. Legitima autem quæ ſuis hæredibus debetur, dextans eſt; quæ reliquis à latere, bes: Id eſt, extantibus liberis legare licet nonniſi decimam ; aliis verò propinquis tertiam tantùm partem: quam legandi rationem juris noſtri conditores teſtamentum vocaverũt, nec aliud norunt, niſi quod jus tamen *Uplandicum* conſtitutis in expeditione aliqua nautica vel terreſtri nominare vel declarare hæredem permittat, procul dubio

mutuato à vicinis, illis viciſſim à *Romanis* more, ſine ſolennitate aut numero teſtium, teſtandi, quorum voluntatem, in hoc duntaxat caſu pro lege habendam eſſe cenſuerunt.

Differentia juris ſuccedendi inter provincias.

Ceterum jus ſucceſſionis legitimum, id eſt, illud quod jura ab inteſtatis conferunt, apud noſtrates valde variavit.

Quælibet enim provincia peculiare habuit, quod nec cum reliquis, nec cum jure *Saxonico* aut civili *Romano* conveniebat, nec in totum tamen diſcrepabat, in lineæ tamen deſcendentis primo gradu omnia conveniunt, ſuos cuiq; ſucceſſores liberos. Quamprimum ab hac linea & gradu ad aſcendentem & lateralem proximos vel ulteriores gradus divertunt, abeunt à ſe invicem & variant. *Gothica* inter ſe maxime conveniunt, & in quibusdam etiam cum jure civili *Romano*, niſi quod ſola gradus, nulla ferè linearum habeatur ratio, excepto primo gradu in quo deſcendens ubiq; præfertur aſcendenti, aſcendens vero collaterali: idq; de jure *WeſtGothico*, ſecus de *OſtGothico* & communi hodierno. Circa ſecundum vero aſcendens præfertur quidem reliquis, collateralis vero aſcendenti. Circa tertium deniq; aſcendens viciſſim

 21, 3, de successionib.

cissim præfertur collaterali. Fratrum & Sororum liberi præferuntur avis & excludunt etiam pronepotes, & vicissim atavi excludunt patruos, avunculos &c. nulla præterea repræsentationis habetur ratio in iis qui æquali gradu distant, etiam in linea descendenti, sed tantum sexus: **ähr man af konu alf vthkommin/ och kona aff manni alff/ tå taker swa myckit kona som madir/ är man af manni alf vthkommin/ och kona af kono/ tå taker han fyra lotta/ och hon fembtung. Nu är kona af kona alff vthkommin/ och annir aff manni alff/ tagi hon twa lutti aff manni alff vthkom/ och hin tridung/** id est, *vir ex fœmina descendens & fœmina ex viro, ex æqualibus portionibus hæredes sunto. Vir vero ex viro descendens, dodrantem: fœmina ex fœmina quincuncem capito; fœmina vero ex viro, bessem, fœmina ex fœmina trientem sibi vendicato, ubi scilicet in pari gradu ad hæreditatem vocantur.* Jus *OstGothicum* in eo convenit cum jure civili *Romano*, discrepat autem à jure nostro communi, quod parentes una cum liberis in capita tantum succedant, ita tamen, ut si mater cum solis filiis, vel cum filiis & filiabus simul concurrat, tantundem capiat ac filius: si vero cum solis filiabus, non plus quam filia. Deinde etiam *Germani*

prorsus

prorsus excludunt consangvineos & uterinos in successione fratrum vel sororum, contra jus nostrum commune, quod illos in quadrantem tantum, quotcunq; fuerint, conjunctim cum Germanis admittit, quod quam exigua nitatur æquitate, dabitur alias dicendi occasio. Minore constat ratione reliqvum succedendi jus, quod nec cum civili *Romano*, nec cum S*veonum*, cum vetusto saltem S*axonum* & *Islandorum* jure convenit. Ius repræsentationis nec in linea quidem descendenti admittere videtur, habita semper graduum & sexus ratione, quod & in jure *WestGothico* fit, in eo tamen ab eo discrepat, quod in concursu descendentium, ascendentium & collateralium primi gradus, descendentes quidem, excludant reliqvos, sed ascendentes vicissim collaterales. Itaque post filium filiamvè defuncti patrem vocat, post patrem matrem, post matrem fratrem, post fratrem sororem, post sororem nepotem ex filio. Ex æquis autem portionibus admittit ad hæreditatem defuncti neptem ex filio, & nepotem ex filiâ, avum maternum & aviam paternam, nepotem ex sorore & neptim ex fratre, quamquam si in descendenti linea hi soli concurrant, possit non magna quidem

 21, 3, De successionib.

quidem, ſed tamen aliqua ſubeſſe ratio; ut enim in primo gradu, habita ratione ſexus, pater matrem, aut filius filiam, vel frater ſororem excluderet, ita viciſſim in ſecundo gradu aut tertio pro ratione ſexus id compenſaretur. Quæ ſuccedendi ratio in regnis quibusdam hæreditariis obtinuit, excepto quod non dividantur, quo jure *Philippus* II.dus *Caſtiliæ* Rex & ejus nati regnum *Portugalliæ* adverſus modernos ejus Reges *Bregantiæ* Duces tueri volunt, quamvis enim hi deſcendant à fratre, illi vero à ſorore, tamen cum hæreditas cecidit, extabat ab hac parte virilis ſexus ſemper potior fœmineo ejusdem gradus. Ultra hos gradus, aut propinquiores, excludunt remotiores, aut ſi pari propinquitate defunctum contingant, deſcendentes aſcendentes, maſculi fœminas, aut ex maſculis oriundi ortos ex fœminis. **Ta ganger hatter til/ och huſwa fraan/ förvthan thön Syſkon ſeen.** Item **i allum alffdum taker then ſig taal i manna alff/ och qwinna allff ganger fraan/ åhn dhe åhru badir åmmar och badi mankiön.**

Quæ vero hic juris inconſtantia videtur circa fœminarum ſucceſſionem, quæ modo admittuntur, modo excluduntur, ea ortum habet ex

commixtione juris antiqui cum novello. Ante tempora enim *Bergeri Jarli*, ſoror, nec in trientem quidem cum fratre ſucceſſit, quod & apud *Saxones* obſervatum fuit, & de jure etiam divino obtinuit, propter familiarum conſervationem, quæ in filiis ſubſiſtunt, per fœminas verò extingvuntur, neq; periculum erat, ne non ducerentur, pauperes ſcilicet & indotatæ, cum lex eadem omnes eas conſtringeret, ex quibus uxores erant capiendæ, & patres, fratres vel propinqui, ad dotem dandam tenerentur: cujus ratio, poſtquam cum fratribus ad hæreditatem admiſſæ fuerunt, evanuit.

Bergerus Jarl non ſecus ac *Juſtinianus* Imperator, iniqvum exiſtimans, ut qui ſemine & ſangvine juncti eſſent, conditione diſpares forent, trientem ſaltem ſorori conceſſit, quo jure etiam hodie utimur, ſed dilatato ad fœminas, cujuscunq; gradus & lineæ, ubi cum maſculis concurrunt, & ſuo non alieno jure ſuccedunt. Jus *OſtGothicum* in primo tantum gradu lineæ deſcendentis fœminas cum maſculis in trientem admittit, in ulterioribus poſtponit, ut modo dictum. De jure *Dalico* fœmina etiam in primo gradu poſtponitur, & nunquam ad hæreditatem admittitur, exiſtente in pari

21, 3, de successionibus.

in pari gradu masculo aut ejus liberis: post eos tamen admittitur, & ex asse quidem, si sola sit, vel ejus liberi. Olim semper fuisse exclusas, vel ex eo apparet, quod hanc legem, qua post fratrem aut masculos ejusdem gradus, vocatur, fuisse in usu dicat, postquam ejusdem provinciæ valles incolerentur. Urbicolis hodie & clericis promiscue omnibus hoc privilegium datum est, ut uxores eorum & filiæ ex semisse cum hæredibus maritorum & fratribus succedant, qualis successio apud *Gothos* in *Hispania* promiscue usitata fuit. Idem etiam usurpant ex antiquissima consvetudine incolæ territorij sive communitatis *Wernheredensis* provinciæ *Smolandiæ*, quod ab *Hakone* Ringh accepisse existimantur. Cum enim fœminæ territorij istius in eo prælio, quod omnium maximum in *Septentrione* gestum est, adversus *Haraldum* Hildetan *Danorum* Regem, insignem operam navassent, in præmium fortitudinis, huic sexui & ejus posteris hoc tribuisse Rex iste refertur, de quo tamen valde dubito; existimaverim potius sibi tacita conventione hanc legem constituisse.

Sveonica jura à *Gothicis* in quibusdam dissident, conveniunt autem cum jure civili *Romano*,

 nec

nec in omnibus tamen. Ius *Uplandicum* repræſentationem admittit in linea deſcendenti & collaterali ad quintum usq; gradum. Ultra ſecundum gradum jus hodiernum expreſſis verbis repræſentationem non extendit; quamvis uſu & praxi hodie obtinuit, ut in linea deſcendenti etiam ulterius admittatur. In linea vero collaterali diſputatur, nec deſunt in utramq; ſententiam, & nunc, nuper, & olim, præjudicata. Deinde ad hæreditatem defuncti ſine liberis admittit uterinos & conſangvineos una cum patre & matre, quos & jus civile *Romanum* & *Gothicum* & commune hodiernum excludunt. Ubi autem pater & mater concurrunt ad hæreditatem defuncti, excludunt nepotes ex fratribus & ſororibus ejus. In linea aſcendenti, ut æqvum eſt, gradu propinquior excludit ulteriorem: Sed tamen contra jus commune ſemiſſem maternis progenitoribus addicit, cum tamen in primo gradu non niſi trientem matri concedat, qui triens tamen non ex hæreditariis ſed bonis aliunde qvæſitis capi debet. In res autem hæreditate acqviſitas, utracunq; ex linea venerint, patres maternos cum paternis progenitoribus capere jubet portionē, quâ in re jura etiam *Sveonum*

reliqua

21,3, De successionibus.

reliqua consentiunt, cum hæc omnia tamen in linea descendenti & collaterali fœminis nonnisi trientem concedant. De jure *Sudermannico* ascendentes in primo gradu excludunt collaterales ejusdem gradus, contra jus commune, quod eos una vocat, & hi vicissim ascendentes in secundo gradu: fratres scilicet & sorores excludunt avum aviamq;, avus aviaq; vicissim nepotes ex fratre vel sorore defuncti, cum tamen sint ejusdem gradus. Ius *Wesmannicum* & *Dalicum* solam sexus & gradus habet rationem: Ius repræsentationis in linea descendenti & collaterali ultra secundum gradum non extendunt (quemadmodum nec jus commune (*Christophorianum*) sed fœminam non vocant, nisi post masculum aut ejus liberos, quare eo jure aut nullam aut totam capiunt hæreditatem:

Hæc juris successorij varietas effecit, ut nec hodie in quibusdam gradibus satis certum videatur. Etsi enim jus commune hodiernum à temporibus *R. Christophori* pro authentico in judiciis receptum fuerit, præcipuè postquam Rex *Carolus Nonus* confirmasset, majorem tamen in eo desiderari lucem, tot nobiles controversiæ superiori seculo agitatæ satis superq; ostendunt. Quod ut

Ratio succedendi in jure novissimo.

 clarius

clarius elucescat, paulò altius res repetenda est. Rex *Christophorus* aut potius *Magnus Smeek* ex varietate illa, unam certã succedendi rationem statuere conatus est, certis quibusdam regulis subnixam, quas (ut videtur) in deferenda hæreditate sibi observandas præfixit.

I. Ut prima & potissima ratio haberetur graduum, posterior linearum, ut quacunq; in linea quo quisq; propior defuncto gradu esset, prior esset in successione, nullo jure repræsẽtationis admisso, nisi tantum in secundo gradu, ubi vero concursus esset hæredum ex diversis lineis, in pari gradu lineam descendentem præferendam.

II. Lineæ collateralis nullum esse peculiare jus, collaterales enim ex fratribus & sororibus transire in jus descendentium, venientes vero à latere ex aliquo superne ascendentium, annumerari ascendentibus; itaq; cum concursus est horum cum reliquis ex latere, illi descendentes, hi ascendentes habentur, ac propterea in pari gradu illi præferuntur.

III. Fœminas in pari gradu cum masculis ad hæreditatem pro rata admittendas.

IV. Supputationem graduum ex præscripto juris

 2/1,3, De successionibus.

juris canonici faciendam, quæ omnia ex tertio & quarto capite liqvent. Ex hisce regulis pro nepotibus non saltem ex fratrum & sororum liberis, sed etiam ex propriis, aufert hæreditatem, & defert non tantum ad avos, patruos, avunculos, sed etiam patrueles consobrinos, ut manifestum est ex capite tertio: sive quod non existimavit aliquem eo usq; victurum, ut pronepotes ex se aut fratribus suis videret, sive etiã quod chariores habeamus notiores, quibus cum nobis major familiaritas intercessit, verum quam adversum hoc sit & naturæ & aliarum gentium legibus, satis superq; patet. Nam cum jus *Christophorianum* in linea descendenti ultra nepotem non eat, sed ab eo hæreditatem ad lineam ascendentem & collateralem deferat, si gradu proximiores sint, ut dictum est; iniqvum videtur, ut certe est, si existens pronepos aut proneptis, ab aliquo ascendentium aut collateralium excluderetur, cum & natura omnis & vota parentum magis prospiciant quam respiciant, & majore à se genitos amore complectãtur, quam ab avunculis, patruis, fratribus aut sororibus genitos. Majores nostri statim à Rege *Christophoro* ab hac parte juris desciverunt, secuti rationem

&æqui-

& æquitatem juris *Uplandici*, cujus universalis regula hæc est: **Komme aldrig Baakarff eller någor annar arff ther innan / å mån något lefwer aff Bröstarfwi**: Quæ tamen lex haud ita pridem iterum disputari cæpit, in causa quadam inter nepotes & pronepotes Matronæ cujusdam honoratissimæ, sed definitio ejus hactenus in suspenso mansit. Ex hac ratione etiam in linea collaterali majores nostri, seqvuti jus illud, ut dixi, *Uplandicum*, ad quintum usq; gradum detulere hæreditatem, pari ratione ut in linea descendenti repræsentationem admittentes. Majorem enim linea collateralis cum descendente habere similitudinem & cognationem videtur, quam cum ascendente, quod cum ij, qui utrinq; ex transverso descendant, quamvis gradu eodem distent, non pari tamen sangvinis propinquitate me contingant. Patrui mei filiam ducere uxorem jura non vetant, at vetant fratris neptem, quamvis gradu eodem distet: & vetat in infinitum jus civile & canonicum in linea descendenti: Quare etiam nati ex fratre aut sorore, nepotes & pronepotes dicuntur, ut quæ ratio valeat, propter sangvinis repræsentationem ad impediendas nuptias, eadem etiam

videatur

 2.1.3, De successionibus.

videatur valere debuisse ad deferendam hæreditatem; nec caret ea res exemplo, etiam politarum gentium, & quæ in reliquis utuntur jure *Romano*, & Rex *Johannes Tertius*, qui potestatem habuit tam explicandæ quam condẽdæ legis, non aliter hanc succedendi rationem explicavit & definivit, in nobili illa sententia, quam anno 1580. convocatis ex toto Regno juris nostri peritis, inter Dominum *Ericum* Sparre & Dominum *Hogenskild* Bielke/ super hæreditate à Dominâ *Gorvelia Abrahami filia* relicta tulit, cum ex professo totam hanc successionum materiam ad sensum juris nostri explicasset, jus repræsentationis in linea collaterali ultra gradus prædictos confirmavit: nec aliter etiam judicatum fuit ad annum usq; 1634. cum à judicio supremo Regio *Holmensi*, non sine præmissa tamen gravi deliberatione, contraria ferretur sententia, inter Domini *Jacobi* Båtz liberos & Dominum *Carolum Christierni* Månestiöld super hæreditate à Senatore Regni D. *Erlando Beronis* relicta, ad observantiam juris *Christophoriani* quod & cum jure civili *Romano* in plerisq; *Europæ* provinciis usitato convenit. Hæ fuerunt controversiæ circa descendentes in recta linea, & à latere. Circa de-

ſcendentes ab aliquo aſcendentium ex transverſa linea, fuerunt & olim controverſiæ, ut videre eſt ex ſententia Senatorum Regni quam tulerunt anno 1579. in cauſa ſupra memorata: apparet enim illos jus repræſentationis, in aſcendenti etiam linea, admiſiſſe, in eoq; ſeqvutos jus *Uplandicum* quod medium vocaverunt, ut ipſe arbitror: Rex vero *Johannes* poſtea improbavit, tanquam ſuppoſititium, quod aut non extaret, aut depravatum & falſum: Fratres enim aut ſorores non admittere ſecum fratrum aut ſororum liberos ad hæreditatem ex nepote aut nepte, ex fratre aut ſorore, relictam, cum uno gradu proximiores & potiores ſint, qua in re jus *Chriſtophorianum* idem eſt cum *Uplandico*; ſed non defuerunt tamen hodie quidam juris noſtri periti, qui hanc legem accipiendam putant, non quoties lis eſt inter membra unius familiæ, ubi jus repræſentationis valere voluerunt, ſed quando inter maternos & paternos genitores diſputatur, tunc potiorem eſſe, qui gradu mortuum propius contingeret, idq; indicare verba illa: **Gifwin ängte vth i andro Slächteñe.** Verum praxis, optima juris dubij interpres, qui ſenſus ſit legis aut eſſe debeat, luculenter oſtendit.

Sed

21,3, de successionib.

Successio eorum qui aut ex adulterio, aut ex concubinatu, aut ex incestu, aut ex promiscuo coitu, ut spurij, nati sunt.

Sed ut ad jus nostrum antiqvum iterum redeam, fuit hæc successionis variatio respectu linearum & graduum, fuit &, cæteris paribus, quidam personarum respectus. In adulterio enim concepti, aut ex incestu, ab omni prorsus hæreditate fuerunt exclusi, & eorum etiam descendentes, quamvis legitimè nati, à collateralibus repulsi sũt, quomodo judicatum est ab *Haquino* Rege *Norvegiæ* inter patruum quendam *Halfdanum*, qui patris filius successit patruo *Gunnaro Andreæ*, exclusis nepotibus ex filia, quamvis legitimè natis, cum illa ex matre esset adultera, nemo enim plus juris in alterum transferre potest, quam ipse habet. Ipsi etiam adulteri & adulteræ, exclusæ fuerunt à successione liberorum suorum legitimorum, succedentibus proximis agnatis, nisi constaret de culpa, ab innocente conjuge remissa. Liberis naturalibus certa & à lege definita portio datur, ubi succedunt ascendentibus, collateralibus enim succedere non possunt, si germani inter se sint, ipsis vero de jure U*plandico* pater & mater ex semisse utrinq; succedunt. De jure *Ost-Gothico* mater prorsus excluditur, de jure communi hodierno pater ex besse, mater ex triente succedit. Ius *OstGothicum*

ſpurios ab omni prorſus hæreditate excludit, nec parentibus quidem conceſſum quicquam illis legare, niſi cum hæredum conſenſu, & judicialiter quidem venia in id impetrata, quod & de jure *Danico* cautum fuit. Ius vero *WestGothicum* ſpurium & legitimum ex æquis portionibus vocat ad hæreditatem matris, quemadmodum jus civile *Romanum* naturales. Matri enim ſuccedere permittit, patri vero & parentibus paternis, tum demum, ſi liberi legitimi, non alij ſuperſunt, aut uxor juſta, ſed non in totam tamen, verum hæreditatis portionem ſextam.. Ius *Sudermannicum* & *Wesmannicum* cum jure civili prorſus convenit in hæreditate materna, quam una cum legitimis ex æquo capiunt, & ijs viciſſim ſuccedunt cognati ut legitimis, in quo jus commune etiam convenire videtur.

Succeſſio Extraneorum.

Extraneo & alienigenæ, cui alias juris ſangvinis ſucceſſio debetur, non alias datur, quam ſi intra annum cauſam & jus ſuum declaraverit, atq; ita tamen, ut decimæ prius deducantur & municipio præſtentur, ſi ſcilicet in urbe aut municipio vixit. De jure *Uplandico* & *Sudermannico* triennium indulgetur, poſt cujus lapſum, niſi interea venerit, ex ſemiſſe una fiſcus, ex altera Eccleſia ſuccedit.

21,3, De successionibus.

cedit. Hoc vocarunt **Danaarff**/ quod nomine peregrino nulli notiores *Danis* essent, quibus cum tunc maxime commercia intercedebant.

Exulis & deportati nullum jus, nulla hæreditas, nec eorum qui in exilio concepti sunt & nati, omnia enim civitatis jura amiserunt. *Sveno Canuti* Rex *Norvegiæ* legem sanxit, anno 1030, quâ si qua hæreditas ipsis obvenisset, ad fiscum deveniret, sed quod avaritiam & cupidinem Regis saperet, avertit animos subditorum. Itaq; alia & æquior statim surrogata est, quæ aut jacere jubet hæreditatem, in eventum reditionis ab exilio, aut ad eam proximos vocat agnatos, quo jure etiam nostrates usi fuerunt, nec ulla in commissum cadunt exulis bona, nisi ubi immediatè contra Regem & Regnum peccatur, quod præcipuè fit in criminibus læsæ Majestatis, & tamen in hujusmodi etiam sese nuper ad redonandum alicui ex agnatis, Reges obligaverunt.

Exulum, deportatorum, & peregrè sine animo revertendi abeuntium.

Nulla hæreditas etiam eorum est, qui sponte exiverunt sine animo revertendi Factum hoc olim à *Gothis*, *Longobardis*, *Normannis*: novissimè vero à multis, catervatim in militiam & terram sanctam proficiscentibus, quo potissimum respi-

ciunt leges *WestGothicæ*, quæ vetant ne vir in *Græcia* residens, hæreditatem in patria capiat: Inge sine Mans arff/ take dhen man i Girekландi sitter. Item far Madir aff Lande/wänder Häl och Nackä at heemkynum/ och stiger Fothum af Fosterlandi/ ther skulu ärfwir wara/ är skyldaster war honum/ tå han heeman faar/ än han kommer ey effter til heemkynum/ scilicet, *Si quis emigrans obvertat talos & verticem domesticis agnatis, ponat pedem extra patriam, hæredes ejus proximi sunto, qui tempore exitus succedere ipsi poterant, nisi revertatur.* Pleriq; nostratium hoc de *Gothis* accipiunt, quod mihi probabile non est, periculum enim non fuit, ut qui ante aliquot annorum centena hinc in *Sarmatiam* primùm, deinde *Thraciam* & *Græciam* egressi fuerunt, ad aliquam in patria aspirarent hæreditatem: Itaq; in eam rem lege non opus fuit, sed constat eo tempore, & paulo ante, cum jus *WestGothicum* scriberetur, multos hinc & è *Norvegia* catervatim, ut dixi, in terram sanctam profectos esse, & in transitu etiam Imperatoribus *Græcis Constantinopolitanis* militasse, quosdam reversos esse, quosdam ibi resedisse, id quod historia *Snorlæ Sturlæ* f. luculenter testatur; sed hæc obiter.

Successio-

21, 3, De successionib.

Successiones etiam non baptizatis nullæ datæ fuerunt, quæ leges in favorem Christianismi, cum primum hic plantaretur, introductæ, postea retentæ sunt, ad acuendam parentum curam in religionis studio & sacrorum initiatione. *Gothi* in *Hispania* non baptismum tantum, sed & 20. dierum vitam requisiverunt, ut capax esset hæreditatis. De nostro vero jure *Sveo-Gothico*, *Danico* etiam & *Saxonico* sufficit: Si modo perfectus fœtus spiritum ducat & mammam suget: **Warder född medh Någel och Nåsa / medh Huud och Håår / drager anda och titt fram. Hedning må ey arff taka.** Solum jus *Sudermannicum* discrepat, quod absq; alia mentione Christianismi, hæreditatem tribuit, modo constet de perfectione & vita, & recte quidem, meo judicio. Baptizari enim non est in arbitrio infantis. Itaq; si quid parentum aut tutorum culpâ hic peccatur, potius ipsis, quam soboli imputetur, quamvis in ipsos quoq;, ut proximos successores, sæpe damnum redundet.

Successio nulla non baptizati.

Ut autem personarum, ita & quædam rerum hæreditariarum fuit respectus, quædam enim leges cavent, ut in successione ascendentium res hæreditariæ ad eos redeant, unde, ut è quorum familia

Successio in bona avi-

milia venerunt, & ut in jure retractus, ita & successionis, cæteris paribus, bona paterna paternis, materna maternis addicunt, quod postea tamen, observata graduum distantia, in praxi antiquatum est.

ta, non promiscue agnatis & cognatis data.

Successio in arma.

Sed & ut apud Sveones Geradæ vel rerum expeditoriarum, peculiaris etiam apud nostros fuit in arma successio, tantum masculis concessa, in qua & accurata graduum distantia observata fuit, wighärff dicta, de qua nihil cautum est in jure communi hodierno.

Successio ubi non constat de hærede proximo.

Non longe tamen ab illo jure abeunt leges & modernæ & antiquæ, quæ suos cuiq; proximos agnatos ad successionem vocant, in casibus ubi simul conjuges, parentes & liberi pereunt, ut in naufragio, incendio, prælio, peste, hostili invasione &c. ubi incertum est, uter alteri supervixerit. De jure civili *Romano* præsumptionibus hic locus fuit, & in dubia benigniorem interpretationem sequi maluerunt, ut superstes conjunx & parens, luctuosam conjugis aut filij hæreditatem solus retinere posset, cum hos magis quam consangvineos affligerent casus ejusmodi acerbi. Ius nostrum familiis favet, & quatenus potest, sua cuiq; retribuit:

21,3, de successionibus.

buit: **Dela ther dult och följa en wittne/thå hafwer then witzord innan kön wil witta.**

Sed hæc hactenus de varietate succedendi, respectu personarum & rerum: Fuit & quidam personarum respectus in ipsa rerum hæreditariarum distributione. Non enim ut hodie inter cohæredes sortitio facta est, sed post factam portionum exæquationem, quod & de jure *Saxonum* antiquo usitatum, electio natu minimo data fuit prima, secunda ei, qui ultimum ætate proximè præcederet, & ita consequenter, ut, inverso communi ordine, is ultimus fieret, qui primus', ut ætate, ita jure esse debuit. Spectasse videntur imbelliam ætatis vel etiam juniorum imperitiam, aut etiam vota parentum, qui ut plurimum infirmissimis favent & junioribus. Distributio rerum hæreditariarũ.

Debita defuncti, ut res etiam hæreditaria, inter successores pro rata divisa fuerunt, secus quam hodiè, ex indiviso enim solvenda sunt. Nihil, inqvies, interest: immò creditorum maximè, quibus invitis debitores mutari non possunt, & qui minus gravantur, si ex indiviso accipiant priusquam hæreditas distrahatur. Deinde in solutionem debiti res mobiles prius deveniunt, Debitorum distriburio.

ac demum, nisi illæ suffecerint, immobilia æstimantur, paratior autem ex mobilibus solutio.

CAPUT IV.

De

Jure Dominorum & Servorum.

ARGUMENTUM.

*E*Rror Johan. Magni *de servis nostris. Servorum origo. Servi spontanei. Servi facti inviti, bello, maleficio, ære alieno. Servi nati. Servorum nomina. Servorum conditio in genere & extra maleficia. Servorum conditio in maleficiis. Servorum conditio in specie, ex officio proprio vel dominorum. Servorum liberatio & servitutis abolitio. Donatio libertatis. Manumissio. Ratio processus & modus vindiciarum. Conjugia liberorum & servorum. Prohibitio emptionis venditionis servorum, & ejus ratio. Servitus tarde abrogata & quare.*

POst mariti & uxoris, parentum & liberorum jura explicata, tertio loco dominorum & servorum ratio habenda est, non ea quæ hodie, mercenaria scilicet & stipendialis, quæ dierum, mensium aut annorum spatio terminatur, sed qualis hodie apud gentes *Orientales* & *Australes* est, qualis etiam olim hic fuit, quæ

2,1,4, De jure Dominorum & Servorum.

quæ eò plenius hic excutienda est, quo magis dubitatum fuit, an talis unquam hic fuerit. Noster enim *Johannes Magni* in vita *Bergeri* Regis sugillat eos, qui abrogationem servitutis præfato Regi tribuunt, Cap. 24. Lib. 20. *Præterea*, inquit, *hoc loco dissimulandi non sunt quidam novelli patriæ suæ calumniatores, qui affirmant Regem* Bergerum *abstulisse quandam legem de venditione mancipiorum: quasi id antea lege concessum fuit.* Immo vero concessum fuit, & noster hic *Johannes Magni* crasse errat, nec excusari potest in re tam clara & evidenti, addo & recenti. Vix dum enim, cum historiam suam scriberet, anni centum quinquaginta fuerunt ex quo plane & plene desiit, ut enim jura vetusta mittam, ex quibus hic omnia servitutis jura distinctè explicabuntur: Extant in jure novissimo, vestigia ejus & vox ipsa, Trääl/ satis nota significatione rem ipsam ostendens. *Tacitus* cum de *Sveonibus* scribit, in specie servos ipsis tribuit: *nec arma*, inquit, *ut apud cæteros Germanos, in promiscuo, sed clausa sub custode, & quidem servo, quia subitos hostium incursus prohibet Oceanus. Otiosa porro armatorum manus facile lasciviunt. Enimvero neq; nobilem neq; ingenuum, ne libertinum quidem, armis præponere, regia utilitas est.* Servi

Error *Joh. Magni* de servitute.

ergo apud nos & ante & post acceptam *Christi* fidem fuerunt, de quorum origine nobis primo dicendum est, deinde de eorum nominibus & differentiis, de conditione in genere & specie &c. deinde, quomodo ex servis liberi facti, quando servitus, & quibus ex causis hic plane abolita fuit & sublata.

Origo Servorum.

Servorum originem quod attinet, hic ut alibi facti sunt, sponte scilicet vel inviti. Sponte, cum quis semetipsum vel pretio accepto, vel etiam sine, in servitutem traderet. quis crederet? cum nihil magis secundum naturam videatur, quam proprio arbitrio vivere, ad quod etiam bruta feruntur? Sed tamen factum apparet ex jure vetusto, ubi interdictum extat, ne quis in servitutem aut detur aut accipiatur: **Hafwi ingen wald at gifwa sigh til giäfftrålz: ingen må och annan til giäfftrålz taka**/ id est: *Nullis fas esto, vel se in servitutem dare vel sic datum accipire.* Et factum hoc sæpe à miseris, vel ob inopiam consilii, vel quacunq; alia de causa, cum de subsidio vitæ diffiderent, vel constat plures sæpe sibi ipsis & communi utilitati magis profuisse, cum opera illorum aliorum ingeniis gubernaretur. Pauci

Spontanea.

tamen

2,1,4, De jure dnorum & servorum.

tamen ſponte, plures inviti ſervi facti ſunt, ut qui vel bello vel latrocinio capti fuerunt, vel maleficio meriti, vel ære alieno oppreſſi. Ære alieno oppreſſos *Romani* olim ſervilem in modum vexabant, adeo ut lege duodecim tabularum, debitoris corpus qui ſolvendo non eſſet, creditores inter ſe dividerent. *Galli*, referente *Cæſare*, humanius eos habuerunt, & honoris qvodam loco circumſe: nominabant eos vero *ambactos*: Quod non dubito quin idem ſit, cum noſtro **ambat**/ de quo paulo poſt. His non immerito adnumerantur illi, qui vel aleæ jactu aut quocunq; luſu de libertate, ac de corpore contenderunt, victiq; voluntariam ſervitutem adierunt, *alligari ſe & vænire paſſi*: quod *Tacitus* de *Germanis* refert: hos perinde ut dedititios illos, qui ingenuitatem ſuam pretio mancipabant, honeſtius tractarunt, & ut *Gallici* illi *ambacti*, ita hi *Liti* dicti fuerunt. Noſtri cum debitoribus ex maleficio non multò durius egiſſe videntur: Si enim impares pœnæ pecuniariæ erant, quæ pro delicto à lege impoſita fuit, arbitrio actoris leges ſervitutis accipiebant, vel ad menſes & annos, ut olim apud *Baivarios*, vel etiam ad vitæ tempus, quod præcipue in furtis erga fœ-

minas obtinuit, quarum vitæ jura *Gothica* semper parcunt: Hafwi then wald som stulin ward/ annattigia gifwa koni Lijff/ ella böthi ena marck Konunge och andra Härade/ och wari hans ambat. Item hafwer han Godz at bötha/ ella wil naqwar bötha firi hona/ ta är thet godt: är hwarte til/ ta hafwer han firi stulit frälse sina: löse entera: antiggia Mälzägande eller Konungz Socknare/ eller Häradzhöfdingia widher twa/ och wari hans ambat. *Sit in arbitrio ejus cui furtum factum est, vel vitæ furis fœminæ parcere, vel unam marcam Regi solvere, alteram communitati, & sic ejus esto serva.* Item *si pœnæ pecuniariæ sufficere potest, vel alter pro illa, bene est, sin minus, libertatem suam furto perdidit: Et pro ea vel fiscus vel communitas vel causæ possessor cui furtum factum est, solvat mulctam alteris utrisq; debitam & serva ejus esto.* Ius Scanicum tamen in hoc concursu Regẽ præfert, adeoq; ei soli furem in servitutem addicit: nulla ferè facta mentione actoris, cujus tamen potissimas diximus fuisse partes. Bello autem servos capere, vel etiam furto & latrocinio in servitutem abripere aut vendere olim usitatissimum fuit; quamvis modorum alter propè à laude, alter propè ab infamia sit. Notum est de jure vetusto jus post-

postliminij, & pœna plagiariis hoc nomine debetur.

Ceterum ex servis quomodocunq; factis, quidquid natum erat, in parentum conditione & necessitate serviendi vivebat: olim quicquid etiam ex libero & serva, nisi aut matrimonio sibi servam liber copulasset, aut partum pater in libertatem redemisset: & rectè quidem: ex ancilla enim aliena acquirere non licuit quod partus de jure ejus esset, cujus fuit ancilla, quæ non sibi aut aliis sed domino acquirebat: itaq; & de jure *Saxonico*, quicquid ex libera & servo natum erat, matrem sequi voluerunt. — Servorum liberi.

Sic servi facti sunt, qui generali vocabulo in jure antiquo dicuntur **annödugh**/ quasi dicas *invitos*, quod sic ut plurimum agant, vel ut aliis placuit, quod tempore messis (quæ **an** vel **and** nobis dicitur) opera eorum cumprimis necessaria sit. **Annödugh** autem servilem omnem conditionem includit, & semper opponitur libero, **fräls eller annödugh**: Item **annödugh Ständ**: Interdum & substantivum addi solet **annödugh Hion**/ qui & significatione eadem alibi in jure **heemhion** dicūtur & opponūtur liberis qui **Folck frälßhion**/ — Servorum nomina.

& in-

& ingenuis qui **frijbohrne** nominantur. **Tittboren** degenerem notat. Quemadmodum **Frälß** & **Fullkynnader** liberum & stirpe generosum significat. **Trääl** autem generaliter servum cujusvis conditionis. **Trääl och ambut warin badin ena both.** Videtur autem illud antiquius **ambat** prout in jure *Gothico, Sudermannico* & *Wesmannico* nominatur, idem esse cum illo **ambacht** *Cæsaris*, nisi quod apud nostrates tantum fœminis tribuatur; Ut illud **Trääl** tantum masculis, ac proinde strictius nec prorsus idem quod mancipium. **Giäffträäl** speciale est, eum enim significat, qui, ut supra dictum est, semetipsum in servitutem dabat: **Brythi**, cujus mentio etiam in jure novissimo, existimant quidam etiam servilis conditionis nomen esse, sed non est nisi ejus qui pretio aut mercede servis præficitur, & ruri, aut servis & familiæ præest, aut agriculturam excercet, id quod manifesto colligitur ex jure *West-Gothico*: **Far bryti fran Bonde/ sedan in är bärgat om Höstén/ eller gifwi honom Bonde orloff/ är Brythi Saaklööß/ och häller Bonde hans Penningar sedan/ böthe** &c. Item **far bruthi fran Bonde/ vthan rättan Stämbnudagh/vthan Bonda wilia/ häthi widh** &c. Neutri

sub

2,1,4, De jure dnom & servom.

ſub pœna permiſſum eſſe, nec Brytio ante expletam operam diſcedere, nec domino ea præſtita inſolutum aut invitum retinere. Officij ergo nomen fuit quod tam in hominem liberum, quam vere ſervum quadraret: ut patet ex cap: 12. i Winſzordz B. i öſtg L. Ab initio tamen exiſtimo facile tales fuiſſe (id nomen innuere videtur à vertendo & fodiendo) quales apud *Romanos* aſcriptitij glebæ fuerunt, aut agri cenſiti, qui non perſonæ ſed prædio annexi erant, tanquam ejus partes, quales pauci in *Dania*, *Pomerania* & *Anglia* etiam hodie ſuperſunt: In *Livonia* vero ruſtici ferè omnes. Hoc non obſcurè colligitur ex cap. 14. i Dräpm. B. i öſtg. L. ubi manifeſta eſt differentia inter Brythium & hominem liberum, qui à miniſterio eſt domini alicujus. Bryttios vero glebæ & prædiis aſcribit vel Regiis vel ducalibus, vel Epiſcopalibus, vel etiam privatis, **Bryti i Upſala ödom / Bryti i Rodzboo / Bryti i Stafz- och Stolzboo / Bonda Brythi.**

Foſtre maſculini & **foſtra** fœminini generis, crediderim vernas ex ancillis natos, & ſervos originarios: quia tamen & peculium & familiam ipſis habere conceſſum fuit, fuiſſe quod apud

Romanos liberti, aut iis proximi videntur. Nam & in judicio agere poterant, & matrimonia etiam cum liberis contrahere, sæpius tamen cum servabus alienis, sed ita, ut ad hæc consensus utriusq; domini accederet, & hac quidem lege, ut **Foster** (servo) mortuo, dominus servæ non tantum in relicta bona & peculium, sed & liberos, si qui nati essent, ex triente hæres esset, ex besse vero dominus servi, Si **fostra** (serva) decessisset, quod idem plane & apud *Gothos* in *Italia* in usu fuit.

Conditio servorum.

Has servorum differentias in jure nostro vetusto reperimus; sequitur conditio, quæ in genere talis fuit, qualis cujuscunq; alterius rei possessæ, animatæ & inanimatæ, cujus usus unicè ad domini voluntatem & utilitatem dirigebatur, pro mortuis quoad vitam hanc civilem, vel potius pro nullis habiti fuerunt, ut qui nec caput nec personam haberent, aut standi in judicio, aut agendi, aut testandi. Ut pecudes autem, alienari poterant, per donationem, per mutationem, per oppignorationem, hæreditatis transmissionem, emptionem, venditionem. Extat locus cap. 16. **i Gifftm. B. i ðstg. L.** Ubi pleriq; hi modi servos acquirendi recensentur. **Nu ähra ther annödugh Hion/är/**

2, 1, 4, De jure dnom & servom.

til omyndh giord åhro/ och åhru swa gammul/ at thön åhru engsins före/ haswa badin nött/ eller gawin badin frälse/ ta ganger ther fullnader firi/ är thet salt/ burt/ ella löstis/ ella dödt/ ella är thet lupit bort/ ta fylli Bonden twee marck för thet ena huswudet/ id est: *Si mulier attulit in dote, servos adeò ætate decrepitos, ut nihil valeant: Si constante matrimonio, uterq; aut usi sunt, aut libertatem donaverint, pro iis supplementum maritus non debet hæredibus uxoris. Si vero aut venditi sunt, aut redempti, aut mortui, aut aufugerint, debet pro capite unoquoq; tres marcas.* Quia scilicet mortua uxore dotem transmittit ad ejus hæredes, nec ex ea sibi quicquam retinere potest, quod & ante dictum, nec hodie amplius de jure aut in usu est.

Ceterum emptio venditio servorum, ut pecudum, per mediatores & testes fiebat: Trääl skal man medh win och wittne kiöpa som Häst. In emptione autem eorum, ut equi & bovis, non dabantur experientiæ dies, sed de tribus cavere venditorem oportuit: ut habile esset tam novilunio quam plenilunio, quod morbo sontico non laborârit; quod provectioris, quam dixisset, non esset ætatis: Bonde skal warda/ så är sål Trääl

Emptio venditio servorum.

och ambat/ them år köpin/ bade ny och neder/ ther nåstu firi brote/ ån firi gridum allan aldår.

In communi autem pretium & æstimatio servorum lege definita fuit; olim validum & robustum mancipium duabus marcis vænibat *Olao Petri* teste. Iura *Gothica* & *Scanica* pretium ponunt trium marcarum: Iura *Sveonica* variant: *Wesmannicum* æstimat servum vulgarem tribus cum dimidia marcis: Servum vero cui clavium & ædium custodia commissa fuit; duplo pluris. *Uplandicum* vero in communi septem marcis, procul dubio quia temporibus posterioribus, pretia eorum, ut rerum aliarum, excreverunt: æstimati etiam fuerunt pro fide, pro artificio, pro ætate, pro qualitate & officio, non suo tantum, sed & dominorum, quod præcipuè in mulcta cædium & vulnerum attendebatur, propter damnum datum. Ejus enim potissimum causa factum videtur, quod tam sollicite jura servos æstimaverint: & in eo etiam quædam servi prærogativa visa fuit, quod ejus quacunq; ex causa, vel etiam mero casu interfecti, æstimatio semper præstanda esset, cum ita liberi hominis pretium statui non posset, nec deberet: nam si fortuito casu cæsus aut vulnera-

tus

21/4 De jure dnorum et servorum.

tus esset, eventus fortunæ culpa excusatus fuit, non rigorosa rei restitutione mulctatus. In cæde autem servi, non idem quidem numero, idem tamen specie, aut ejus pretium restitui potuit. Idem obtinuit, si quis servam alterius imprægnasset, illa vero ex puerperio moreretur; non tantùm lucrum cessans & operas illius præstare domino, sed & pretium mortuæ addere compressor debuit: **i thôm dòda warder annödugh gildare ån then frålsta.** *Hoc, inquit, casu mortis, pretiosior libero servus.* omnia vero præstabat, donec convaluisset & laboribus iterum sufficeret: **then barn a ambut/ han skal warda hämin/ til thet ån han gitter qwarn draga/ och koo midlckat.** Absq; hoc autem pro solo concubitu aliquot oras domino debebat, & duplum ejus vel triplum pro liberta, & tantundem fere si quis sine ullo domini damno alienum servum pulsasset; paulo plus, si libertum: hi enim eodem jure, quo exteri, fruebantur, *Angli* scilicet & *Sundenses*, quorum non eadem fuit ratio, quæ indigenarum. Atq; hæc mulcta debebatur tantum propter injuriam & contumeliam quæ censebatur domino facta. Itaq; à conditione dominorum sæpe aucta fuit. Facta enim Regis

ſervo, maximi; ducis aut Epiſcopi, majoris: Iudicis provincialis, magni & ſupra, quam reliquis facta, judicabatur. Ubi vero damnum juxta datum eſt, pretium ex lege & lucro domini taxatum fuit. Itaq; in cæde ſervi alterius, liber non de homicidio quidem accuſatus fuit, æſtimationem tamen ejus præſtabat juxta ea, quæ jam dicta ſunt, prout aut domini aut ſervi, aut tempora fuerunt. Idem factum, ſi ſervus alterius ſervum domini interfeciſſet, aut noxam dominus dedere, aut pretium occiſi debebat. De lege *Salica Francorum* ſervum homicidam inter ſe domini dividebant, quomodo *Romani* debitorem. Sed quid? Si in maleficiis ſervus foret, exempli gratia, vel liberum hominem interfeciſſet, vel etiam crimen commiſiſſet violati juramenti regij? etiam pœnam pecuniariam dominus ſervi præſtare debuit, ſed graviſſimam, & quæ pro capite libero conſtituta fuit. Neq; enim ſervum in exilium pellebant, quod fortaſſis etiam inſons elegiſſet, neq; etiam ſtatim neci dabant. Non parum enim ſupplicij eſſe putabant in prorogatione vitæ ad diuturniorem ſervitutis patientiam. Si tamen dominus ejus mulctam aut nollet, aut non poſſet, ſervus homi-

21,4, De jure dnorum & servorum.

micida, ad portam illius, torto ex cortice querci-
no fune suspendebatur, tamdiu pendulus fœtore domum domini & familiam infestans, donec fune cum putrefacto decidisset: Si enim dominus ejus convinci potuit antea solvisse, mulctam qua suspendendum liberare poterat, suspenso solvere ex lege tenebatur; quam legem haud scio an nostrates à *Saxonibus*, an vero *Saxones* à nostris mutuati sint. Idem enim statuerunt in cane homicida, in arbitrio autem actoris posuerunt utrum dimidium vel integrum *Werigeldum* à domino canis mallet, dimidium jura imperant absq; onere, sed & integrum etiam postulanti concedũt, ea tamen conditione, ut omnem domi suæ sibi aditum præcludi patiatur, præter unum, qua foras prodeundum est, ibi è limite canem homicidam suspendebant, donec computrefactus nihil præter ossa albicantia reliquisset. Sic lucrum pecuniæ fœtore cadaveris justè emi. Nam si aut canem amovisset, aut alio ostio exiisset, jus perdebat integri *Werigeldi*, solo semisse concesso. Idem & nostrates in servo ante portam suspenso spectaverunt, inhumanitatem, sordes & avaritiam exprobrantes. Ius tamen *Wesmannicum* dominum servi liberat, si

modo

modo noxam hæredibus defuncti dederit, ut eâ faciant, quidquid velint: & præterea pretium præstet vel offerat servi homicidæ: eo tamen eventu, ut si forte servus sibi fuga consuluerit, mulcta duplicetur. Hoc autem interfuit inter servum & liberum hominem, quo servi causa potior videri potuit; ut si ad cædem alicujus cum homine libero concurrisset, cædis culpa & pœna, non servo, sed homini libero imponeretur, perinde ut factum etiam fuit, si cum viro ad cædem mulier concurrisset; idem factum est etiam in furtis; liber suspensus fuit, servus dimissus; **ganger at stiäla/ Bryti och Trääl: Bryti skal vphänga och ey Trääl**: procul dubio quod alterum libertas, alterum necessitas impelleret. Alter enim sibi, alter domino parabat, impari ergo studio ad istud venisse præsumebantur. In cæde etiam, qui sui juris non esset, alieno obsecutum consilio & imperio existimaverunt, & cum culpa illa omnis pecunia lui posset, rectius & citius illam à libero quam servo extorquendam esse.

In respectu autem ad dominum, servorum conditio talis plane fuit, qualis dominis placuit. Pro ipsorum enim lubitu & arbitrio, vivendi &

servi-

2/1/4, De jure dnorum et servorum.

serviendi necessitas incubuit. Itaq; si saevi illi & truculenti, nihil servis miserius; nulla enim perpessio quae non imponi potuit, nulla actio quae non quovis modo extorta. Extat in jure *Christophoriano* vox **trålbår/** vel testis vel index castigationis servilis, vertit illam *Ragvaldus* per *immaniter tractat*, recte quidem ad sensum, sed sic, ut servos, quos projectos in terram saevius pulsasse videntur & peculiari quodam verberationis genere, ut hodie *Muscovitae* suos. Alibi in jure nostro **Tråål** & **Fothtrodh** conjunguntur, & *servos occidere solent*, inquit Tacitus, *non disciplina & severitate, sed impetu & ira, ut inimicum, nisi quod impune*: Nostris quidem non consvetudine magis & more gentis, quam legibus etiam publicis de impunitate cautum fuit: **Kune Bondin ella Huusfrua ella barn thera trålin något giöra/ hwadh thet är ella i dråpum ella i Sårom/ wari alt ogilt i alla lagum:** Ergo proprium servum interficere licuit, aliquando & alienum, sed sic, si se ad pugnam cum homine libero composuisset: **Then frälse gilder och tråål ogilder/ ty han war ey Folckfrälß.** Extra hunc casum aestimatio ejus praestanda fuit, quod & ante dictum. Adversus dominum ergo nulla

actio servis data fuit, nisi si quæstio status ei qui se pro libero gessisset mota fuisset, aut ab extraneo maleficium ei imputaretur, qui insons esset, quo casu, non servus sed dominus rei partes in judicio defendendas suscipiebat, aliquando tamen & servi in judicio testari poterant, ut de partu fœminæ, de iis qui fortuito casu periissent, aut vi majore, ubi & fœminis testari permissum: **i thessum malum ta má kuna annoduga wittne båhra och Edhe swária/ och i engum andrum.**

Differentia servorum.

Hæc in genere de servis & eorum conditione; ut autem inter servos differentia fuit, ita & conditio sæpe variavit Omnium vilissimi fuerunt, qui sese sponte in servitutem mancipabant, duplo minoris enim constabant. & recte quidem: Servitute enim electa tam vile sui pretium ipsimet posuisse videntur, vel animo degeneres, vel corpore inutiles aut infirmi: Omnium autem optima videtur fuisse *fostrorum* conditio. Ipsis enim & peculium & familiam habere concessum, & cum servi in genere intestabiles essent; *fostris* nostris hoc privilegium datum est, ut quomodo liberi, testari possent, & in judicio ipsi agere: **Fostre má wittna/ ty at hans Boo skal skifftas/ åhn han**

2,1,4, De jure dnorum et servorum.

han dräper man. *Fostri* etiam duplo pluris, quam alii ſervi, duplo vero minori pretio quam ingenui taxati ſunt, ſive mulctam darent, ſive caperent, cujus trientem ſemper patroni ſive domini aut præſtabant aut ſibi vendicabant. Diximus ſupra **Bryti/** non tam ſervi, quam officii nomen fuiſſe, ejus tamen, qui operam ſuperiori locaret, cujus æſtimatio magis à dignitate domini quam uſu aut opera pendebat. Itaq; in cæde ejus, injuria aut damno, ſemper ad dominum leges reſpiciunt, qui quo major & dignitate, vel officio illuſtrior, majorem etiam, à ſervo læſo, accepiſſe injuriam putabatur, ac majore proinde mulcta vel caſtigatione pecuniaria vindicandam, quæ **Tucka** dicta fuit, quaſi à tactu, ob exiſtimationem vel dignitatem quaſi tactam, imminutam vel læſam.

Hæc de illorum conditione & pretio, ſupereſt ut illos manumittamus & liberemus. Poſtquam perſvaſum noſtris, non convenire Chriſtianis, chriſtianos habere ſervos, cohæredes cœleſtis gloriæ & regni, excogitati ſunt pio zelo à Regibus plures modi, quibus ſine damno dominorum ſervitus paulatim abrogaretur. Itaq; primo com-

Abolitio ſervitutis.

Libertatis donationes. mendata est libertatis donatio, tanquam res Deo gratissima & animarum saluti utilis. Libertas itaq; à religiosis & devotis promiscuè tam alienis quam propriis servis dari cœpit, & propriis quidem semper dari potuit, sed & alienos redimere licuit, neq; tamen, ut primum libertas data fuit, etiam pro libero habitus fuit, quoad juris effectus, ante ejus publicationem: publicatio autem fiebat vel in judicio à judice, ad professionem sive contestationem domini, vel etiam à Sacerdote in conventu parochianorum aut Ecclesiæ, si scilicet libertas testamento relicta fuit. Ex eo tempore libertus, non liber factus, si absq; prole decessisset, patronum hæredem habebat, prout etiam jure civili *Romano* constitutum fuit, nisi quod de jure nostro in successione non sui tantum, sed & legitimi hæredes patrono præferantur, in primo tantum gradu: **Atleddis mader/ adelkona barn/ eller wisdgangit/ ta taker thet arff hans / och ey hin han atleddi:** Item, **åhr sun til ella dotter/ fader ella moder/broder ella Syster/ta faar icke then aff arff wi åhr atleddi/ åhr ingen thera till/ ta skal then taka år atleddi:** id est, *Servi manumissi proles legitima, vel sic agnita, hæres esto, non manumittens.* Item

Redemptio servorum

si fili-

2/1/4/ De jure dnorum et servorum.

si filius aut filia, pater aut mater, frater aut soror existant, ne adito hæreditatem patronus, si verò superstites non sunt, hæres esto. Alienis autem servis ut libertas daretur, pretium intervenire oportuit.

Erat hic alter modus quo servi in libertatem, vel emi vel redimi poterant, imo & debebant, si agnatos habuissent: dedecus enim & ignominia liberæ familiæ aliquem ex suis in servitute videre aut pati, neve emptores æstimatione nimia à dominis gravarentur, favore libertatis pretium non arbitrio contrahentium, sed lege definitum fuit, & quod ex proprio suo, non servi peculio, redemptores conferre debuerunt, sed nec inter redemptores esse poterant, vel mulier, qua cum rem habuisset servus, vel libertus, aut qui ipse redemptus esset. Redemptio quoq; prohibita fuit tempore messis & sationis, vel certe nulla conditione admissa, nisi ut redimendi loco operarium domino conducerent.

Ceterum redemptionis seu vindiciarum hic erat processus; primo publicatio ejus rei facta est, jus libertatis servo denunciatum, pretium domino promissum, & conventus judicij eâ de re indictus. Wilia frånder sin vr annödugh stad lösa / ta

 skulu

ſkulu ther a han manhelgd lysa/ ſå ſiri han biuda och ting ſtåmma : hoc eo factum ut cum libertas in ſuſpenſo eſſet, nihil fieret quo jus ejus læderetur. Si quid enim interea à domino ei factum eſt, tanquam commiſſum in liberum hominem, puniebatur: quemadmodum etiam, ſi quid interea ſervus commiſiſſet,ejus culpam non dominus, ſed redempturi præſtare tenebantur. Deinde etiam ſtato judicij conſeſſu pretium oblatum eſt, absq; eo enim præſentaneo nihil actum. Illud autem, ut ante dictum, pro ratione temporum variavit. Ius *Weſt-Gothicum* aut duas oras aureas, aut duas marcas argenteas definit. Iudicij autem conſeſſus ad id requiſitus fuit,ut omnibus conſtaret de manumiſſi libertate ; dominum enim præſentem eſſe oportuit & abalienare, aut ſi ipſe abſens eſſet, cum ſacramentalibus jurandum fuit id factum volente & conſentiente domino. Si autem tergiverſaretur oblato pretio manumittere dominus, res ad ſupremum provinciale judicium devoluta eſt, ubi redemptores aliquid horum, de quibus controverſiæ potiſſimum fuiſſe videntur, per ſacramentales probare debebant, aut ſervum eâ ſangvinis propinquitate eſſe, ut debeat redimi:

21,4, De jure dnorum et servorum.

redimi: **At han them/ swa nidiom når/ och knåm kunniger/ at the aga han løsa i lagh manna;** aut in liberam familiam reverâ, nec novam servitutem redimi; **At wir løsum han/ til kyne och kundra manna:** aut deniq; suo ære, nec servi peculio vel ære vindicari: **At thår war frånda fåå/och egh hans fåå/ och ey widergiåld hans fåår.** Perinde autem fuit, sive redemptores sive etiam redemptus probaret, utricunq; actio mota fuit: ex præscripto juris & ipse ad probationem admissus fuit, aut se manumissum cum consensu & liberalitate possessoris; **At han war atleddir medh luwi och jaqwåde råttz ågande:** aut se propinquorum ære & juramento redemptum esse,**at han war løster medh fåå och frånder Edhe.** Favore enim libertatis concessa fuit probandi facultas pugnantibus pro libertate, ut cum sedecim, octo vel etiam quatuor jurarent, quod impugnantibus libertatem præstare, ut tunc fuerunt tempora, non fuisset difficile, **ther giffz wald och wittzord / thår sig will gidda.** Sed si & liber nec unquam servus fuisset, in quæstione status tamẽ pro illo meræ præsumptiones non valuerunt, nisi insuper probasset se conditione nunquam servum fuisse: **At han år**

frålz

fråls och fridhätta. Ubi vox hæc novissima pileum pacis significat, quod non minus apud nos, quam *Romanos*, libertatis indicem hunc gestare licuit iis, qui aut manumissi erant, aut parentum alterum vel utrumq; habebant liberum, ac de iis qui utrumq; habebant, nullum fuit dubium: quod alterum vero attinet, de jure vetustissimo, partus conditionem matris secutus est; unde quidam se matris non patris filios nominarunt; ut *Ingeburdis*, *Estbridis* filios &c. De jure vero novello liberi libertatem, non sexum seqvuntur: **gangin å barn a bättri alff.** Itaq; si quis ex propria serva liberos genuisset, donare; si ex aliena, emere libertatem debuit. Si verò ex communi (communes enim servos & servas etiam habebant) & ex suo dare, & in hoc de suo, reliquos etiam consentire oportuit. Libertas enim ex parte dari non potuit, neq; propterea sociis æstimatio debebatur: quod tamen apud *Gothos* in *Hispania* factum: **Egh ma Bonde Barn sitt i fälder föra och egh annödugt hafwa / och egh sin Brodur / och egh Syster sina**/atq; hic tertius modus erat acquirendæ libertatis.

Quartus erat huic suppar vel idem potius,

2,1,4, De jure dnorum et servorum.

ut si quis servum servamve pro libero in matrimonium alicui dedisset, vel ipse sumpsisset, eo ipso libertatem donâsse, & jus suum in eos perdidisse judicatus fuit. **Nu taker mader fostra sin / och bedin frälsa konu med och kallar han frälsan wara: Nu bidir fräls madir fostrum bonde / kallar hana frälsan wara/ hafwin therföre gifwit wan sine / och thön warin fräls och alt thet aff them komber/** Sensus est: *Si dominus dixerit vernam vel libertam liberam esse, & pro libera elocaverit, perdit jus in eam, prout extitit ejus vel dominus vel patronus*; neq; enim quemquam ex dolo suo vel alterius cum damno locupletari voluerunt: Sed si sciens servo mulier nupsisset, vel servam vir duxisset, nisi redempti forent, in tantum acquisitum dominis jus imminuere non poterant, quo minus etiam ex tali conjugio superstitibus, mortuô servô, in bessem; servâ in trientem domini succederent, quod & factum supra diximus, si servus alterius domini servam sibi contubernio junxisset, nisi quod tunc etiam successio in liberos esset, hîc vero nulla, quod semper libertatem sequantur Si vero ex furtivo concubitu aut illegitimo liberi essent, in eos nihil juris sibi vel servus vel servi dominus

Conjugia cum servis.

Hh vindi-

vindicare poterat: domino enim servæ acquisiti sunt, cui præterea etiam pecunia debebatur, ut ante dictum. **Wil trääl faa Huuskono / gifwi twa öre til them är han a äcki kepsir i barnum.** Item de jure *OstGothico*: **Nu ganger Fostre mans effter fostro / ta a egh käpsir innan barnum /** id est, *partus vernæ ex alterius vernâ non pertinet ad illum.* Si autem mulier libera ignorans servo nupsisset, nuptiæ irritæ fuerunt, ubi constitit de servili statu; liberi tamen libertatem sequebantur. Si autem tempore vitæ quæstio status ei mota non fuit, libertas præscripta fuit, nec actio deinceps ulla data adversus liberos eo nomine: **kombir träl a land wärt i laga gifftu: qwäl ingen han i hans lijfzdagum / hafwi sedan ingen witzordh at qwälia barn hans**: quamvis enim liberis statim ab ipsa nativitate libertas ob alterum parentum novâ hâc lege connasceretur, nomine tamen parentis, servi alia jura constante matrimonio perdere poterant, quæ ipsis ex ignorantia status accrescebant.

' Interdicta de servorũ emptione.

Postremo quò magis servorum usus rarescerett, etiam commercio servorum tanquam rei illicitæ interdictum fuit: ac primo quidem ne quis liberum hominem in servitutem venderet vel traderet,

21,4, de jure dnorum et servorum

deret, quod antiqui vocabant **lågga i futt**: deinde ne quis ſemetipſum in ſervitutem traderet, à *Bergero Jarlo* cautum fuit, cum nondum tamen vetuiſſet accipere vel emere vendere. Sed nepos ejus *Bergerus Magni* filius etiam emptionem venditionem ſuſtulit, edixitq; libertatem eo ipſo acquiſitam ſervo, quo conſtaret venditum eſſe, ut emptori quidem adverſus venditorem ad pretij; venditori verò nulla ad ſervi reſtitutionem actio daretur. **Sål Christen mader Christnan/ och år ta hans trål/ ta warder han frålß sum salder år med the salu/ och hin taki wurd sitt atter/ som kiöpte / och år ingen boot at / och wari aldri ofrålz sidan.** Interdictum autem illud *Bergeri* in jure *Sudermannico* repetitur, indicium etiam eo tempore fuiſſe, quanquam rariſſimos. Author enim ejus ſive potius confirmator, *Magnus* **Smeek** in ſolenni ſua regni circuitione prorſus ſuſtuliſſe dicitur, ſervis omnibus qui tunc fuerunt, libertate publicè data, neq; enim poſt ejus tempora, ſervi, aut de ſervis leges.

Ceterum cauſa abrogationis in interdicto ponitur: **Hafwi ingen Christen madir wald christnan at sålia/ ty at ta Christer war/ ta löste Christer**

ſter alla Chriſtna. Quæ tamen ex affectu christianæ charitatis magis ſvadere, quam edicto aliquo numinis cogere potuit. Chriſtus enim ſervi formam aſſumens venditus eſt, non ut terrena aliqua ſervitute nos liberaret, ſed ut venundatos ſub peccato in libertatem ſpiritualem aſſereret.

Veriſimile quidem eſt *S. Ansgarium*, qui inter primos Chriſti prædicatores hic fuit, hæc inter alia, quæ de ipſo referuntur, ſvaſiſſe, ſed nullo effectu: Servitus enim & ejus jura manſerunt. Poſtquam autem Cardinalis *Gunhelmus Sabinenſis*, qui tempore Regis *Erici Blæſi* in *Sveciam* è *Norvegia* venit, ut ſacerdotibus conjugia interdiceret, inter alia etiam ferri igniti & ſervitutis abrogationem urſiſſet; fundamentum abrogandæ legis à *Bergero Jarlo* cœptum eſt; quod nepos *Bergerus* continuavit, pronepos vero *Magnus* Smeek perfecit, & finem impoſuit, ſpatio fermè centum annorum. Res enim tanta, quæ cum multorum damno conjuncta fuiſſet, ſine motu publico ſemel & ſimul tolli non potuit.

CAP.

2, 1, 5, De Contractibus.

CAPUT V.

De Contractibus,

ARGUMENTUM.

Contractuum materia amplissima. Nobis tamen non exculta & quare. Permutatio antiquissima, & cum venditione ferè eadem. Venditio certis regulis astricta. Venditio per testes & mediatores: & quare: per utrosque: Ad manuum complexum, Handsahla/Handzöhl. *A contractu quando recedere licuit. Quarum rerum sine testibus & mediatoribus emptio. Emptio sub conditione ad dies experientiæ,* Freslmark. *Fundorum venditio sive alienatio publicanda, quorum & quare. Peculiare Regis privilegium circa venditionem fundi. Ceremoniæ circa venditionem fundi. Scotatio* Skiötning. *Contactus baculi* Stafft och fasta. *Formula alienandi.* Firmatores *quales & quot pro varietate contractuum requisiti. Publicatio fundorum quare recepta, & hodiè etiam usitata. Differentia fundorum. Allodiales & adventitii. Differentia horum & super his controversiæ hodiernæ. Jus retractus sive* protimiseos *quale & quam varium, ut & pretium fundorum in retractu. Æstimatio fundorum alibi usitata, alibi hodie desueta. Fundamentum æstimationis, & controversiæ super æstimatione hodiernæ. Oppignorationes fundorum quando legitimæ. Usuræ prohibitæ & jus* anticriseos. *Sententiæ super hoc superioris seculi. Locationis conductionis agrorum mos varius. Arrhæ sive donarium,* Städzle/wingiäf. *Canon* Boolgiäf/Afradh. *Differentia inter* censum *&* canonem *pro ratione agrorum. Commodatum, mutuum, depositum, & jura super his nostra.*

Contractuum materia amplissima est; per quos, homines, de quorum jure jam actum est, mediante fidei vinculo per commercia rerum in hac civili societate cohærent. sed de contractibus pauca jura antiqua habent, ut hominum qni nec negotia cum exteris multa haberent, & domi mercimonia & artes quæstuosas non exercerent, paucis quæ cuiq; suus ager suppeditaret, contenti. Quidquid autem defuit, id permutatione earum rerum quas superfluas habebant, acquirebant, in quem finem successu temporis in singulis provinciis & locus & tempus constitutum fuit, ubi & quando ad mercium commutationem convenirent, quæ *Græcis* ἐμπόρια, nostris **kiöpung** dicta fuerunt, quæ vox etiam hodie plerisq; nostratium oppidis remansit.

Permutatio. In hisce emporiis permutatio mercium fiebat, pecuniæ usu adhuc vel ignoto vel raro, quem defectum tamen supplere conati sunt, constituto sive definito rebus pretio quas pecuniæ loco repudiare nefas fuit. Id quod cumprimis ex cap. 8. **JordaB. LL.** juris *Christophoriani* colligi potest, ubi in retractu fundi allodialis, si emptor frumen-

tum,

tum, boves, pecudes, lardum, butyrum, cuprum, ferrum, pannos laneos ſive linteos, aut aliquid horum offerat, ad pecuniam cogi non poteſt, quod & ante dictum.

Emptio per teſtes & mediatores.

Ceterum in emptione venditione gens ſimplex & minimè omnium aſtuta, ne circumveniretur, ſatius exiſtimavit regulis quibusdam contractum illum conſtringere, quam libertati cujusq; relinquere. Primò enim omnium, rei quantulæcunq; vendibilis nullam emptionem fieri voluerunt, niſi ſub teſtibus & per mediatores. Teſtes adhibiti fuerunt ne contractus negari poſſet: nulla enim primis temporibus ſcriptura in uſu. Mediatores verò, tum ut pretium moderaretur, tum ut caverent de evictione & titulo, ſi ita uſus facto eſſet: videntur autem ad certam verborum formulam contraxiſſe, quam mediatores hi præibant, ut poſtea factum eſt, & hodie fit in inſtrumentis publicis circa alienationem fundorum: **Ty ſkal win tako til aldra kiöpa/ at han ſkal ordina giöra om all kiöp/** id eſt, *mediatores ideo capiendi ſunt, ut in formula contractus verba præeat.* Hos moderatores viros eſſe oportebat, non tantum ſui juris & qui familiam haberent, ſed & qui eo in territorio habita-

bitarent, ubi emptio venditio fiebat, cives non peregrinos, **then som win skal wara/ han skal wara boltzfäster man och inländskor/ i thy landet kiöpet giörs i/ och wärda at thet rätt fångit är/ som han wingar honom.** Post hoc ad emptionem venditionem manuum complexum præceperunt, antea enim contractus non erat perfectus. **Sidan skulu their handur takast.** Item **han skal handsala honom** &c. & in jure nostro authentico, **Tager handom är sammantakit/ wart och wingat/ ta är laglika kiöpt. Handsala** ergo verbum est, vendere significans per mutuam manuum complexionem, unde **Handsalu** nomen venditio talis dicitur per manum, & participium **Handsöludh** vel **Handsaludh** id est, venditum perfectè sive ad complexum manualem: postea usu loquendi **Handzööl** etiam pretium illud dici cæpit quod post complexum manuum (quod veteres juris consulti mancipationem vocärunt) sive ejus loco statim numerabatur: eo enim facto & fide utrinq; datâ & acceptâ, à contractu recedere non licebat. De jure tamen *WestGothico* recedere permissum, sed sub pœna trium marcarum, sub qua etiam de jure novissimo à societate discedere licuit

Manuum complexũ.

2,1,5, De contractib.

licuit ante tempus constitutum. Post traditionem tamen aut recognitionem non erat pœnitentiæ locus. sed de hisce ceremoniis posterioribus seculis aliquid remissum est, ubi enim constitit de pleno utriusq; partis consensu, præcipuè vero numerato pretio, non admodum necessaria visa fuit manuum stipulatio, ut propter ejus defectum contractus irritus redderetur, aut etiam eo nomine actio daretur. Deinde, cum ad rerum omnium etiam vilissimarum emptionem, supervacua videretur, etiam difficilis esset mediatorum & testium conquisitio, sufficere arbitrati sunt, si tantum in emptione venditione rerum pretiosarum testes & mediatores adhiberentur, utpote in emptione venditione auri vel argenti elaborati, ædium, armorum, vestium, equorum, boum, ovium & caprarum &c. sine mediatore vero & teste, res minoris momenti, ut anser, gallina, canis & felis emi poterant, **Hönß och Giäß / Hund och Katt må kiöpas uthan win:** quia nec magna pro his, si furto caperentur, de jure imposita pœna, quæ alioquin in abigeos obtinuit.

Hoc primum ergo erat, ne deciperentur, cum testes & moderatores adhibuissent: alterum

Ad dies experientiæ.

ab hoc consistebat in diebus experientiæ, qui in jure dabantur in venditione vel permutatione equi, equæ, bovis &c. dicebantur **Fråstmarck**/ id est, emptio sub conditione experiundi ad certum tempus, quod vel tres vel quinq; vel quatuordecim dies fuerunt pro ratione distantiæ inter domicilia contrahentium: Sic prospectum videbatur simplicitati gentis, cum esset pœnitentiæ locus, & liceret emendare errores proprios, cavere alienos. Idem, quamvis non eodem modo, spectavit jus civile Rom. cum, si quod rei emptæ vitium fuisset, modo non manifestum, nec de eo emptor sciverit, concedat emptori aut redhibitoriam actionem aut æstimatoriam, quibus agitur vel ad resolvendam venditionem, vel saltem, quanti pluris emerit, ad pretium à venditore recipiendum.

Hisce tamen actionibus non erat locus, de nostro quidem jure, inter incolam & peregrinum, quando aut ad testes contractum fuit, aut etiam in foro vel mercatu publico sine testibus: **Fori Torghkiöp ligger ingen fråstmarck.** Item **faar madir Håst aff andrum eller af wägfarandi manni medh kiöp eller skipte/ och medh kiöpwittnom/**

thår

thär är ingen fråstmarck fori. Sibi ipsis enim imputandum, quod non essent cautius mercati.

Sed hæc hactenus de emptione tantum bonorum mobilium. Bona soli vel immobilia non ita ubivis, cuivis & quantivis distrahere licuit, etiamsi mediatores & testes intervenissent. Eorum enim emptio venditio non aliter rata fuit, quam si publice & in judicio fieret, atq; eo usq; pœnitentiæ locus fuisse videtur. Contractus enim privatim factus, nostris vulgo Bänckekiöp/ quasi dicas, ad scamnum emptio, nullius momenti fuit, ut quæ facilime impugnari aut revocari posset: cum autem in judicio contractum profiterentur, tum demum sibi constare videbantur, ut ipsis deinceps minime ab eo discedere liceret. Peculiare tamen Regi privilegium fuit in venditione fundi sui vel etiam publici, post trinam enim publicationem (quâ Reges perinde ut privati in contrahendo tenebantur) emptor Regem invitare, & tribus eum ejusq; comitatum mensis ad convivium excipere debuit. In horum præsentia Rex particulam ex terra venali in sinum emptoris excutiebat, in signum simul totam tradi. Sed tamen, si venditionis eum pœnituisset, antequam alterum pedem à

Emptio venditio bonorum immobilium.

Ceremoniæ in fundi venditione.

limine non extulisset, habebat regressum in integrum; secus, si utrumq; eliminasset. Ad hunc modum olim etiam privati contraxerunt, manibus assistentium extenso emptoris pallio, in quod terræ modicum venditor conijciebat, cum solenni alienandi formula, quæ sola posterioribus seculis retenta fuit, & vox sine ritu: Nam & hodie confirmatio judicialis, quæ fit super ejusmodi contractu, *Scotatio* dicitur: **Skiöttning**/ ob terræ istius quæ olim facta fuit ex sinu venditoris in sinum emptoris excussionem. Adhibebāt præterea & baculū, quem duodecim firmatores tangere debebāt in signum perfecti jam contractus. Utraq; hæc ceremonia diu in usu fuit, postmodum altera, hodie neutra: tantum, ut dixi, voces ipsæ: **Skafft och Skiötning**: quæ dicuntur de tabulis sive instrumentis judicialibus super contractu factis. Antequam contractus per ejusmodi ceremonias & ritus confirmaretur, audiendus erat venditor, si pœnituisset facti, modo pecuniam pœnitentiæ legibus constitutam solvisset, quæ si simplex tantum præcessisset promissio vel stipulatio, non magna quidem, sed tamen contra quam jure civili *Romano*, aliqua fuit; si vero manuum complexu

Scotatio.

Baculum contactus.

firmata

21,5, De contractibus.

firmata esset, triplo major erat de jure *Scanico*, de jure *Gothico* plusquam decuplo. Post *Scotationem* vero vel terræ excussionem non poterat contractus tam solenniter confirmatus rescindi, nisi sub conditione adeo gravi, ut pro singulis firmatoribus, totidem mulctis lueret pœnam inconstantiæ venditor, quæ cum soli emptori (**widerlagzöre** dicebantur) cessissent, hoc lucro satis contentum fore arbitrabantur, præcipue si nondum occupasset & coluisset. Ius *Scanicum* sic ea de re statuit, qui promissionem super venditionem alicujus terræ noluerit adimplere, duas oras secundum quosdam, si nudam & simplicem promissionem fecerit: Sex oras communi judicio, si contactu manuum roborata fuerit; Tres marcas, si scotationis solennitate interveniente aliena terra vēdita, quod promisit effectui mancipare non poterit, præstando emendabit. Formula autem ad scotationem alienandi hæc fuit: **Jag affhänder mig Jord mine/ lagbudin och lagstandin/ swa myckla/ och i then by/ närby och fiärre/ med allo thy/ som ther til ligger/ innan Gårdz och vthan / och affhänder mig och minom Arfwom / vnder tigh och tina Arfwe/ för swa mange penninge / och thesse**

Formula alienandi.

tolff åre ther-fastir åth : id est, ut verbum verbo reddam: *Alieno à me fundum meum legitime publicatum & statum, tantum & in illa villa N situm, cum omnibus quæ ad illum pertinent, intra & extra villam, prope & procul, & alieno à me & meis hæredibus, sub te N & tuos hæredes tanti N & hi duodecim NN & testes sunt & firmatores.* Simul excussio terræ facta est, quæ, ut modo dictum, obsolevit, cum formula hæc etiam hodie in omnibus instrumentis publicis retineatur & inseratur, cum firmatorum nominibus qui in omni fundorum distractione, sive illa emptione venditione sive permutatione, sive etiam donatione fieret, adhibebantur: Ideo nostra voce **fasta**/ id est, *firmatores* dicti, quod contractum valident & firment, qui ante scripturam & instrumenta publica recepti, etiam postea manserunt, in eum tantum finem, ne dubitetur de titulo & bona emptoris fide, si illos contractui allegaverint: deinde si instrumenta pereant, ut horum assertione & testimonio controversia decidatur. Ante annum millesimum trecentesimum scriptura in judiciis non fuisse in usu videtur, nec ulla ante illa tempora super fundis contractuum instrumenta reperiuntur, & rara admodum ante millesimum quadrin-

Firmatores **Fasta.**

dringentesimum, sed ad hos firmatores ut revertar, vivos, non mortuos, provocandum fuit: **Wårt ingen fåst a sötti dödom/ och må engin gåa til hö-ga at hemuld letha/** id est, *Ne referto firmatorem ad pedes mortuorum, nec quisquam pro evictione ad tumulos adito.* Hos autem firmatores vivos esse oportebat, qui & familiam haberent, & habitarent in territorio, ubi fundus situs, in quorum locum hodie Nembda successit. Fuerunt autem definito quidem â jure numero, sed non semper eodem. In oppignorationibus quatuor, **Mådfåsta** / in venditionibus duodecim, **Kiöpfasta** / totidem in permutationibus, **Skipfasta**/totidem etiam in donationibus jus commune requirit, **Giåffåsta**/ & totidem etiam in societatis contractu, **Bolagzfa-sta.** Iura *Sveonica* variant hunc numerum pro quantitate & portione fundi. *Gothica* non ultra octo requirunt, quos **Odelfaster** nuncupant, nonnunquam tamen & nonum addunt, ut directorem sive verba præeuntem, **Styrisfaster**/qui hodie præses judicii est, qui formulam recitabat. Ceterum si plures fundi unâ vice ab uno uni venderentur, singuli fundi suos habebant firmatores, quod etiam observatum inter patrem & filium,

vel

vel fratres, ubi emptio intercessit, & vice versa, si vir uxoris fundum venderet, cum essent ab una parte quasi duo contrahentes; diversi pro viro, diversi pro fœmina fuerunt, etsi res una tantum ab iis venderetur. Firmatores autem hi ubicunq; quidem nominari & vocari, non alibi tamē quam coram judicio dari & accipi debebant. **Allir fastär sum til Jord skulu gifwas/ ther Kiöpfästär ähru/ the skulu a Tinge/ eller a Kircku gifwas och takas.** testes enim rei publicæ sunt.

Publicatio alienationis fundi.

Publicatio autem contractus in judiciis facta est, duplicem ob causam, primo ut omnibus constaret de hoc contractu, quod esset justus & legitimus ad differentiam eorum, qui privatim, sive ut nostrates loqvuntur, ad scamnum fiebant, **Bänckekiöp/** ideoque revocabiles, quare etiam fundi adventitii (**aflinge**) publice, etiam in judiciis proclamantur ad emptionem, non quod iis faciendi quidquid velint, dominis non sit libera potestas, sed ut plane constet de voluntate contrahentium, omnisq; doli & fraudis suspicio absit: Deinde etiam, ne cuiquam præjudicium fieret in jure *protimiseos* sive *retractus*.

Insignis enim olim ut & hodie differentia inter

2/1/5, De Contractib.

inter fundum *allodialem* seu *avitum*, qui in hæreditate mea est, & *adventitium* seu *acquisitum*, quem mihi, vel emptione, vel donatione, vel cultu, opere & industria comparavi. Quamvis enim in alienatione uterq; ,ut dictum est, publicari debuit, cum hoc tamen discrimine, ut adventitium cuivis & quantivis vendere liceret, permutare, etiam donare: hæreditarium vel potius avitum nec donare nec vendere licuit, nisi certis personis, certo pretio & in certis causis. Allodialem autem vocamus, non quomodo *Feudistæ*, quatenus contradistingvitur Feudali, in quo & directum & utile dominium dominus habet, nam hac ratione etiam adventitij allodiales esse possunt, sed ut in jure nostro vetusto indigitatur, hæreditarium avitum (alda odal) qui fuerat in possessione familiæ, & ex aliquo progenitorum devolutus, jus *Norvegicum* determinat ad quartum usq; hæredem familiæ. Quia autem jure novissimo satis exacte hoc deductum non est, nata est nuper satis gravis controversia, an fundus hæreditate ab aliquo descendente vel transversali linea acquisitus, qui tamen in hæredis istius familia nunquam fuerat, censeatur inter adventitios vel allodiales? Certè si natura

Differentia fundorum.

Fundus allodialis avitus.

Adventitius

Controversiæ hodiernæ ex distinctione fundorum.

& jus protimiſeos ſpectetur, non aliam ab cauſam introductum eſt, quam propter familiarum conſervationem, ut prædia & fundi, quoad ejus fieri poſſit, in familia, in qua fuerunt, permaneant, quare agnatis datur poteſtas retrahendi paterna, cognatis materna prædia, nec ultra jus etiam noviſſimum poteſtatem illam extendit, ut non tantum ceſſante ratione legis, ſed & lege ipſa tacente, odioſum ſit valde, facultatem illam, quæ libero homini competit de rebus ſuis diſponendi, eripi & reſtringi.

Ceſſat enim ratio legis in familia extincta. Potuit enim primus acquirens obligare poſteros ſuos lege in id obtenta & confirmata, ne paterentur bona ſeu prædia à ſe ad ipſos devoluta in alienam familiam, niſi ſub certis conditionibus, transire. Non potuit in adventitiis, ut aliunde ipſis acquiſitis, nec præſumendum quidem eſt facere voluiſſe in gratiam hæredis ex aliena familia, libertate ſuorum imminuta. Quare prædia ejusmodi extincto ultimo familiæ hærede recidere videntur in eum ſtatum, in quo fuerunt tempore primæ acquiſitionis, ut iis faciendi quicquid velit æqua ſit poteſtas ultimo deſcendenti quæ primo acqui-

renti.

2, 1, 5, De Contractibus.

renti, Et si hæc ratio militat pro ultimo descendente, militabit multo magis pro ejus hærede, qui extraneus est, si intestatus decesserit. E. G. ut si pater succedat filio suo in prædiis ejus maternis, ea cum non ulli progenitorum suorum debeat, sed tantum filio, atq; eapropter quamvis hæreditate sibi obvenerint, nec paterna nec materna dicere possit, inter adventitia seu acquisita ejus (nam & hæreditate prædia acquiri possunt) censenda sunt, de quibus tenet regula illa seu lex universalis cap. 9. **Aflinge må man giöra hwad man wil/ gifwa sälia hwem man wil/ och som man gitter dyrast.** Cum enim ab illa lege nulla nisi avita in eo capite excipiantur, juris est: *exceptionem firmare regulam in casibus non exceptis.* Quapropter cum in jurisconsultorum scholis frequentatum sit, leges odiosas non esse ampliandas, sed potius restringendas: hæc autem quæ potestatem hominis limitat & libertatem tollit circa administrationem bonorum suorum, extra controversiam una ex odiosis sit, non est extendenda ad plures aut novos casus, quem quos lex ipsa expresse tangit. Ceterum ut hæc libertas sibi constet, extincto jure familiæ, quod eam in bona sua primus

quirens habere voluit, intelligendus eſt hæres ultimus, nou quivis, ſed qui ultimus ſit in linea deſcendenti à primo acquirente. Certum enim eſt & argumenta ejus rei non obſcura in jure noſtro ſunt, hic olim, ut hodie in *Norvegia*, & in quibusdam etiam *Belgij* provinciis non ſucceſſiſſe patrem aut matrem in bonis liberorum maternis aut paternis, quamvis alius gradu propior non eſſet, ſed tempore vitæ duntaxat retinuiſſe, rediiſſe vero poſtea in familiam ad eum qui proximus in agnatione aut cognatione defuncto eſſet, nec aliter judicavit judicium ſupremum Ionæcopenſe in cauſa Dn. *Johannis* **Kyhle** adverſus Comitem Dn. *Axelium* **Lilia**/ cum non huic ſed illi tribuiſſet jus retrahendi prædium maternum, quod Dn. *Catharina* **Stranck** vendere volebat (quia maternum fuit Dn. *Johanni* **Kyhle**) Comes vero, quamvis gradu propior per patrem, id ut paternum retrahere non potuit. Et lex, ubi alienationem vetat, loquitur tantum de bonis avitis : **Byrd / gambla Byrd/ Fäderne/ Möderne.** Quæ ſola in jure noſtro opponuntur, vel contradiſtingvuntur acquiſitis, **aflinge.** Nec obſtat quod argumenta ſive initia cap. 2 & 9, de bonis hæreditariis

in

in genere loqui videantur. Quæ enim illa hæreditaria sunt, textus legis in prædictis capitibus clare & evidenter ostendit, scilicet avita, ut dictum. Iuxta textum autem legis, non argumenta ejus, controversia decidenda est. Argumentum enim sive Rubrica ad textum legis conformanda est, non textus legis ad rubricam, hoc enim perinde esset, ac si quis faciem vivi hominis corrigere & emendare vellet, ad picturam ejus in tabula.

Sed hanc controversiam juris praxis hodierna aliter explicavit, & in quibusdam tantum casibus, ut satis certum non videatur, quid statui in hac causa debeat. Concesso enim semel (ut concedi necesse est, nulla enim in jure novissimo exceptio prodita est) quod ut quisq; gradu & sangvine propior est, succedat promiscue sine distinctione in bona defuncti adventitia & avita, frustra disputatur de jure alienandi, ejusmodi enim bona jus alienare vetat, nisi sub certis conditionibus, ut ante dictum, frustra etiam disputatur inter agnatos & cognatos de præferentia in jure retrahendi, regula enim universalis est: **then är närmare at lösa börd/ som närmer är effter arfftali/** sive ut jus *Uplandicum* clarius expressit, **then är nä-**

stir at börda som näster är at arfwi än Bondan döder är/ id est, *prior gradu in jure succedendi, prior est etiam in jure retrahendi*, atq́; ita judicatum fuit à Rege ipso in causa supra memorata pro Comite *Axelio* **Lillia**/ contra *Johannem* **Kyhle** / & sententiam supremi judicij *Jonæcopensis*.

Privilegium fundi aviti.

Fundos hæreditarios avitos, ut sæpius jam dictum, nec vendere licuit promiscuè, nec donare. Nam si vendendus erat, oportebat causam constare venditionis, quæ raro admissa fuit, nisi aut fame premente, aut captivitate alterius conjugũ, multo minus ergo donare sine expresso hæredum consensu, nisi ad sacros tantum usus, & tunc non ultra decimam tamen fundorum partem. Sive autem donandi erant, sive vendendi aut permutandi, publicatio requisita fuit, testes & firmatores, præcipuè verò circa venditionem in gratiam retrahentium bona avita non tantùm publicè intimata sunt, sed & proximis hæredibus oblata, **Enom a gårde/ allom a tinge**/ id est, *uni domi, omnibus in judicio*: nec primis tantùm & proximis, sed & post illos qui proximi essent ad quartum usq́; gradum, ubicunq́; etiam extra territorium constitutis: quin imo de jure *Helsingico*, cum proximus emere

emere non possit, in tantum inhibetur distractio, ut primâ vice, non plus quam ad triennii alimoniam; alterâ verò post iteratam de novo denunciationem, tum demum liceat totum divendere; ubi hoc obiter notandum venit, nusquam nec in antiquo nec novissimo jure prohibitum fuisse, prædia per partes distrahi, quod posterioribus seculis nonnunquam factum est, præcipue propter censum, qui fisco debetur ex fundis, ne hac ratione vagabundus & incertus foret. Ceterum ad retractum jura pleraq; ut & *commune* hodiernum, post tertiam publicationem annum indulgent: *Ost-Gothicum* triennium: *West-Gothicum* saltem mensem: *Sveonica* variant, & vel strictius vel laxius definiunt, prout retrahentes intra vel extra territorium, provinciam, vel regnum sunt constituti. Retractus.

Pretium autem redemptionis, nec ex placito contrahentium, nec arbitrio bonorum virorum, ut hodie ex jure communi, sed à jure ipso determinatum fuit, ut esset scilicet selibra argenti puri pro quolibet octario (quod portio agri est non multum infra jugerum Romanum, si scilicet duo pedes numerentur in ulnam nostratem ut infra dicetur) quod censitum est in frumento & pecu-

nia:

nia: triente verò minus pro ejusmodi octario, quod tantum pecuniam pendit. Ius *Norvegicum* imperat ut quartâ parte vilius agnatis vendatur, quam extraneis. Ius *commune* ad arbitrium, ut dixi, bonorum virorum reducit, quorum trini â contrahentibus utrinq; nominati illud determinant, & est ut plurimum in singulis provinciis certum & statum, quod inter rusticos, juxta cujusq; provinciæ receptam æstimationis consvetudinem, ut plurimum etiam hodie servatur. At inter nobiles alteriusq; ordinis homines, jam longo temporum decursu nemo sic vendidit, nemo emit aut redemit, & cum nuper in controversia nobili ad legem illam provocaretur, major exorta est lis super fundamento æstimationis, neq; enim placitum quorumvis qualicunq; arbitrio committere, nisi certis regulis pro basi astricto, & rursus si daretur mensura ad morem fisci juxta canonem veterem, fallacem fore, fundis non olim ut hodie excultis: nec minus in novo & nuper imposito errari posse, aucto supra modum censu & multiplicata sobole, crescente cupidine redituum augendorum, unde quæstio etiam hodie indecisa pependit, invalescente quoti-

2,1,5, De Contractibus.

quotidie contra legem consvetudine, jam sententiis Regiis etiam confirmata, unde satis liquet mutua magis conventione, quam vi aut coactione juris, arbitrio bonorum virorum determinari. Alibi & inter quosdam pretia fundorum vendibilium nec semper, nec ubiq; observantur.

Nata est hinc altera nec parvi momẽti quæstio, nec minore animorum & argumentorum contentione agitata in concursu creditorum & propinquorum retrahere volentium, utri utris præferendi? E. G. Si creditor oppignoratum & obligatum sibi habeat prædium aliquod decem millibus: agnati vero vel cognati non tanti redimere velint, sed ad æstimationem & arbitratum bonorum virorum: an cogi possit creditor, si debitor alias solvendo non sit, ut de summa debiti aliquid remittat & prædio absistat, agnatis tãti cessuro quanti æstimatũ fuit? non esset hîc controversiæ locus, si suus legi vigor stetisset: Si oppignorationem omnem æstimatio legitima præcederet, præjudicium sangvine proximis nullum creari posset. In fundo enim judicialiter æstimato ac tanti oppignorato non dubia esset, cæteris paribus & fatalibus observatis, præferentia agnatorum: Sed

Controversia altera de præferentia inter creditores & retrahentes.

 quia

quia jam dudum ab illa lege receſſimus, nec quicquam hodie minus uſitatum eſt quam judicialiter oppignorare per teſtes & æſtimatores, nihil vulgarius vero quam privatim & per ſcripturam, & de validitate tamen ejusmodi contractus nemo hactenus dubitavit, quam nec in judicio contrahentes infringere, nec judex improbare auſi ſunt: invidioſum eſſet, quæ culpa communis eſt, & tam debitoris quam judicis, ſolum luere creditorem, ad hæc ſi creditores præferuntur in ſolidum liberis in hæreditate adeunda, quid ni & agnatis ac cognatis? neq; enim in gratiam illorum magis quam liberorum aliquid remittere æquitas patitur, cum liberi maiori favore digni judicentur. Iam vero manifeſtiſſimi eſt juris hæreditatem adiri non poſſe niſi debitis ſolutis: & ſi adeant, obligari in ſolidum ad ſolutionem omnium debitorum, etiamſi hæreditas non ſuffecerit. Præterea ne quis non exiſtimet creditorem in ſolidum ſemper eſſe præferendum, jus noſtrum favore debitoris aggravat æſtimationem fundi, qui in ſolutum dari debet, ut facilior ei fiat ſolutio, **ſom the tolff ſåga dyraſt wara wärdt.** Longe alia vero eſt æſtimatio fundi vendibilis, inter fratres, ſorores, agna-

2,1,5, De Contractibus.

agnatos & cognatos, ut inter membra unius familiæ, facilis & vilis, quorum nullus eſt reſpectus, quoties fundus pro debito dandus eſt, ſed quanti maximi poteſt, atq; ea conditione ut nec debitor, ſi intra triennium velit, eum minoris luere poſſit, quâ fronte ergo minoris petant agnati & cognati? Creditor enim jus habet debitoris ſui in fundo ſibi oppignorato, nec aliud ad poſſeſſionem, nec aliud habent agnati & cognati ad retractum, niſi quod ab eodem & poſt illum acceperunt. Atq; hoc eò magis militat, ſi contractus bona fide initi ſunt, & neceſſitas aliqua debitum expreſſerit: cum enim jure naturali ſibi quisq; proximus ſit, non veriſimile eſt primum fundorum acquirentem, ita nepotibus & poſteris favere voluiſſe, ut intérim filios & ſibi proxime junctos negligeret. Secus ſe res habet, ubi dolus dedit cauſam contractui, & ſimulatur debitum, ut ſangvine proximi bonis avitis excludantur. Quare ut hunc locum de retractu concludam, quia ex his aliisq; procul dubio rationibus ſupremæ curiæ & ſententiæ Regiæ pro creditoribus fuerunt, lex illa c. 7. **Jord. B. L. L.** inter antiquatas cenſenda eſt, præcipuè vero cum ἀντίχρησις eo capite interdicta & prohibita, prævaluerit

Anticriſis hodie in uſu

luerit tamen ex æquitate suâ contra legem in judicijs, reclamantibus frustra canonistis, quorum nunc nemo ferè est, qui alia conditione in pignus prædiale pecuniam mutuo dare volet, quam ut pro usura pecuniæ lucretur canonem & fructus, de qua re jam mox dicendum.

Oppignorationes fundorum.

In oppignorationibus enim agrorum, quæ & species alienationis est, etsi sub conditione & ad certum tempus, ut emptiones venditiones, publice & in judiciis ut jam innuimus, etiam de jure novissimo & *Christophoriano* sub testibus & firmatoribus fiebant, æstimatione factâ, quanti esset & quis ejus fructus & reditus, idq; præcipue propter agnatos & cognatos, quibus etiam in ejusmodi contractibus jus retrahendi salvum & integrum mansit, & ut ante alios essent, si vellent, & ut post definitum à contractibus luendo terminum, ipsi ante extraneos luerent, si oppignorans non posset aut nollet, ad quod jura hodie annum, olim triennium indulserunt, iis præterea & reo in tantum favent, ut ex sorte mutuatæ pecuniæ, reditus & fructus pretium detrahi permittant, ut in partem pecuniæ solutæ numerentur: Omnis enim usura majoribus nostris ignota, etiam legibus

2,1,5, De Contractibus.

legibus prohibita, nec ullus compensationi locus quæ hodie obtinuit, non quidem ex jure scripto, sed consvetudine & æquitate, ut cum debitor gratuita pecunia utatur, creditor de fructibus rei sibi pignoratæ ad modum legitimum usurarum retineat, etiam cum quantitatem usuræ fructus longe superent, idq; valere volunt juris civilis *Romani* interpretes, etiamsi expressè non ita convenit propter incertam fructuum spem, quæ pro ratione locorum & temporum variant; secus, ut dixi, de jure nostro, quod fructus, juxta æstimationem factam, expresse jubet in sortem accipi. **Och slå aff Husswudgälden swa mycket han aff the Jord hafwer vpburit:** ad normam procul dubio juris *Canonici*, quod *Divino* niti videtur, quo potissimum juris nostri conditores respexerunt. Atq; ita judicatum fuit superioribus seculis in causis præcipue fiscalibus, ut sub imperio Regis *Magni Smekij* inter Fiscum & *Elizabetham Mareschalli* filiam circa redemptionem *Lijstriæ* & *Blekingiæ*, quas oppignoratas possidebat. Item tempore *Christiani* primi inter Fiscum & Nobiles, tempore etiam *Stureorum* inter Fiscum & Nobiles. Sub imperio etiam *Gustavi Primi*, cum bona monasteriis

& Ecclesiis oppignorata revocarentur. Quanquam hæc res magnam invidiam conflaret iis, qui judiciis his præfuerunt, & in *Dania* turbas non exiguas excitaret, teste *Huitfeldio*.

Locatio cōnuctio fundorum.

Atq; hæc de fundorum emptione & oppignoratione. Circa conductionē variatum fuit. Post servitutem abolitam simplices coloni fuerunt homines liberi ad prædia colenda certâ mercede conducti. Ut plurimum tamen domini ijs elocabant, ut & hodie fit, quorum alij nummos, alij partem fructuum, alij alia persolvebant, quibus tamen de jure quædam servitus eo ipso imposita videtur, quod non pari jure cum locatore in hoc contractu gaudeant. Si enim ante tempus constitutum fundi conductor discesserit, non tantum vi reduci, impune etiam vulnerari, quandoq; & interfici, si scilicet defensionem tentet, sed etiam ad præstationem ejus quod interfuit, cogi potest, cum è contrario si locator colonum ejecerit, ad nihil teneatur præter pretium usus ejus, quod arrhæ loco in contractum dedit. Æquius jus civile *Romanum*, si colonus fundo frui à domino aut ab eo prohiberetur, quem dominus prohibere, ne id faceret, posset, tantum ei præstare jubet, quanti ejus

2, 1, 5, De Contractibus.

ejus interfuit frui, in quo etiam lucrum ejus continebatur: Sin vero ab eo interpellaretur, quem dominus prohibere propter vim majorem aut potentiam ejus non posset, nihil amplius ei quam mercedem remittit & reddi jubet. Ab eo jus *Norvegicum* & *Gothicum* non multum discedunt, quod non tantum arrham reddi mandant, sed & canonis pretium, perinde ut mercenario mercedem stipulatam, si nulla sua culpa à domino repudietur.

Antiquitus omnis agrorum sive prædiorum locatio definitum & tempus & censum habebat, cum hodie ut plurimum arbitrio relinquitur contrahentium. Tempus de jure *Sveonum* vetusto octennium fuit. De novissimo *Christophoriano* sexennium: Veteres *Romani* in quinquennium locabant, quod lustrum vocabant, imitatione lustri publici, quo vectigalia solvebant. *Belgæ* & *Galli*, ut nos, in sexennium, quo elapso & pretium usus & canon præstari debuit. Illud donarium erat nobis, **gifft/ städzle/eller wingäff/** hoc **afrad** vel **Boolgäff** nominatum, hodie quotannis solvitur, cum alterum illud statim ab initio contractus dari soleat; utrumq; certa lege determinatum fuit,

Reditus fundorum.

cc

c

sed

ſed hoc præcipue pro quantitate fundi: **Nööt vm ſex halma aff attunga fiurar tunna korne / och halff marck wadmahl/ och halff marck penninga/ twäggia näſwina bredt dagzwärckia um war/annat um ann/ aff attunge/** id eſt, pro fundo octantario (de cujus quantitate capite ſequenti) *bos ſexennis in pretium ſcilicet uſus, pro canone vero quatuor tunnæ frumenti, dimidium marcæ in pecunia & tanti valoris pannus domeſticus, & præterea bidui operæ, unius diei tempore ſationis, alterius tempore meſſis*: Sed hoc ex fundis, ut apparet, fiſcalibus aut nobilium, qui elocabantur, quamquam id etiam valde variet pro ſitu locorum & cultu. Qui enim littora maris accolunt & ex piſcatione vivunt, piſces plerumq; præſtant ſalitos vel toſtos, qui ſaltus & ſylvas inſident vel pecuariam excercent, pelles & carnes, butyrum, caſeos, &c. qui agros colunt, frumentum, qui mineralia eruunt, ferrum, cuprum aut alia ejusmodi; ad pecuniam cogi non poſſunt (niſi ita convenit) cum nec in retractibus quidem neceſſitate aliquâ deſideretur, ſi aliquid eorum quæ in cenſu legitimo cenſentur, præſtare poſſint. Agri vero cenſuales ſive vectigales non elocabantur ad hunc modum, cum à dominis ſuis ut plurimum poſſiderentur,

21,5, De Contrahibus.

derentur, & quod ab iis fisco penditur, non canonis sed census nomine veniat, qui pro quantitate fundi, cæteris paribus in respectu ad canonem minor fuit. Possunt tamen & hi elocari, & elocantur sæpe eâ conditione ut conductor censum fisco præstet, & præterea in recognitionem exiguum aliquid domino fundi vel portionem aliquam ejus usui & cultui relinquat.

Depositum, mutuum, commodatum.

De mutuo, commodato, deposito pauca jura nostra habent à jure *civili Romano* discrepantia, & pauca in universum, tantum quod conductor, commodatarius & depositarius, dolum, culpam levem & latam præstare teneatur, non vero (ut nec æqvum fuit) vim majorem; **firi ofåfle skal ey warda.** Vim majorem tamen aliquanto latius extendũt, non tantum ad ea, quæ vitare nostræ non fuit potestatis, ut inundationem, incendium, hostilem invasionem & direptionem, sed & quæ difficile caveri possunt, ut à pecore commodato, ignem, raptum, ursum, tabem, ictum &c. **Belda rådn Biörn/ Stinger och Staren/ dijser år afåfle/ Asikia:** Sed in deposito (**inlagdz fåå** nostro jure) etiam vis major. **Lågger madir fåå sitt til giätz luthe/ ma thet fåå ey**

tappas hwarte medh skyld ella rádn: id est, *si quis ponat rem suam alicui in custodiam, res illa nec furto nec raptu perire potest*, quasi dicat, non levat depositarium, si dicat furto aut raptu ablatam esse, quod cum etiam hodie in rebus pupillaribus observetur, depositarij, ut periculum hoc vitent, templorum fidei sæpissime committunt, tanquam si ab ejusmodi casibus tutissima forent. Iura tamen recentiora hanc exceptionem admittunt, ut de restituendo depositarius non teneatur, si res proprias etiam E. G. incendio vel furto periisse probare possit. Iura nostra dolum præsumunt, si una non pereant, quod tamen de jure *civili Romano & Saxonico* non obtinuit. Admittitur enim, hoc non obstante, probatio depositarij, culpæ enim nomine, desidiæ & negligentiæ non tenetur, cum custodiam gratuitam præstat. Nos contra tantam fidei rationem habuimus ut nemini prorsus sua credulitas damno foret.

CAP.

2,1,6, De fundorum ratione & differentiis.

CAPUT VI.

De Fundorum ratione & differentiis.

ARGUMENTUM.

AGrorum seu fundorum cognitio necessaria. Consideratio & divisio agrorum ratione quantitatis. Alibi atq; alibi alia. Apud Romanos *&* Hispanos. *Apud* Sveones. *In* nummularia, oraria, marcaria *&c. & quanta quæq; portio fuerit. Apud Gothos juxta assis partes in* Sextantaria, octantaria *&c. Divisio fundorum ratione qualitatis in publicos, communes & proprios ex possessione & usu. Fundi publici vel commu nes* allmenning *in quadruplici differentia. Fundi publici Regij in quibus omnibus incolis jus qui uti frui possunt. Fundi vel loca communia unius provinciæ. Communia* hæredæ. *Communia parœciæ aut pagi. Divisionibus semper obnoxia ubi petuntur. Ratio divisionis circa loca talia observata. Præscriptio locorum communium, qualis & quousq; concessa. Usus communium fundorum in quibus consistebat. Dominium locorum communium vel fundorum. Fundi proprij in singulorum dominio. Alij* fiscales: *Alij* feudales. *Alij* Allodiales *tam plebejorum quam* Nobilium. *Alij* Emphyteutici *utriq; communes. Feuda veterum qualia. Feuda hodierna. Controversiæ hodiernæ super fundis censualibus. Rationes pro* Emphyteuticis. *Rationes in contrarium* censuales *non omnes esse* Emphyteuticos. *Agrariæ contentiones quid importent, in democratiis, Aristocratiis & Monarchico statu.*

DE fundis & agris quatenus in contractus veniunt, hactenus dictum, quia vero eorum consideratio peculiarem titu-

lum meruit in jure antiquo, non erat alienum ab instituto & pleniore cognitione status nostri, si ulterius etiam agatur, de eorum differentiis & divisione, ratione qvantitatis & qualitatis, tum de eorum cultu & quæ ad cultum seqvuntur, ut viarum, pontium & villarum mutatione & ædificatione, deniq; de pastione, piscatione, venatione, aucupio, de operis rusticanis & mercenariis &c. quæ sub titulo quarto & quinto juris hodierni continentur.

Agrorum seu fundorum ratione quantitatis consideratio.

Agrorum ratione quantitatis consideratio in contractibus comprimis necessaria est, propter pretium in emptionibus, venditionibus, propter canonem & censum in locationibus, conductionibus, etiam in oppignorationibus: deniq; etiam propter divisiones inter vicinos, qui quædam inter se communia, quædam etiam peculiaria habent.

Modi quibus agri ratione quantitatis mensurantur, alij alibi & tam diversi fere quam gentes ipsæ, quoad nomen, nam in re omnes conveniunt. In *Hispania* ulteriore *Varrone* teste cap. 9. lib. 1. metiebantur jugis, in *Campania* versibus, apud *Latinos* & *Romanos* jugeris. Iugum vocabant

21,6, De fundorum ra(ti)o(n)e et differentijs.

bant quod juncti boves uno die exarabant, quemadmodum & hodie in *Savolaxia* Finniæ provincia, suos fundos per juga mensurant, seu saltus censitos vulgo **Skattmarcker/** quæ non exarant quidem, sed per intervalla cædunt & exurunt pro semente facienda; *Versum* vero quadratum erat, quoquo versum, centum pedes longum & latum. *Jugerum* vero duos quadratos actus continebat, quilibet vero actus continebat CXX pedes in longitudinem, & totidem in latitudinem. Jugeri pars minima dicebatur *scrupulum* & continebat decem pedes in longitudinem, æquali etiam latitudine: *Quadratum* enim erat *Sveonibus* & *Gothis* antiquissima, & hodie etiam usitatissima agrorum divisio & mensuratio est, respectu pecuniæ antiquæ, in *nummularia*, *trientaria*, *oraria*, *marcaria*, *sextantaria*, *octantaria*: Sive quod potius crediderim, quod tanti censita fuerit, ut scilicet exinde colonus vel usufructuarius tantum pro canone vel vectigali aut censu solveret.

Nummularium Peningsland.

Nummularium (**Penningzland**) prout nummus minima moneta, minima etiam agri portio erat, quam proxime accedens ad *scrupulum* Roma-

num, nisi quod aliquantulo major esset: Constabat enim una pertica in longitudinem, & præterea una ulna in ejus quadrante: in latitudinem vero dimidia pertica, duabus ulnis & ulnæ quadrante: *Pertica* vero nostra continebat in se novem ulnas nostrates. Erat ergo nummularium latum sex ulnarum cum dodrante, longum vero decem ulnarum cum quadrante, id est, triginta circiter pedes longum & viginti latum. Huic proximum erat *Trientarium*, sive ut nostri vocant, *Ortugarium* **Ortugaland**/quod novem perticas longum, sex latum erat, sive quod perinde est, octodecim longum, tres vero latum: quo paulo majus erat *semissarium* **Halfföresland** / longum scilicet novem perticas & totidem latum, sive octodecim perticas longum, & quatuor cum dimidia latum: duplo pluris erat *Orarium* **Örisland** / quod continet in longitudinem octodecim perticas, novem vero in latitudinem, continet autem in se tria trientaria sive viginti quatuor nummularia. Quia vero, ut dixi, vel canonis causa vel propter pretium in emptionibus venditionibus hæc mensurandi ratio introducta fuit, necesse fuit in mensuratione, non quantitatis solius, sed etiam quali-

Trientariũ Ortuggland.

Semissariũ Halfföresland.

Orarium Örisland.

2,1,6, De fundorum ratione & differentia

qualitatis terræ aliquem respectum haberi: Itaq; si situs loci justam longitudinem non admitteret, suppletum est latitudine, & vice versa, si latitudo angusta esset, procederet mensuratio in tanto majorem longitudinem; deinde ut terræ scrupulosæ vel arenosæ nulla haberetur in mensuratione ratio. Deinde ut ad differentiam glebæ fertilioris de argillosa aut glareosa tantò plus in compensationem adderetur. Sed hæc mensurandi ratio apud *Sveones* præcipue in usu fuit; Comprimis verò in *Uplandia*; quæ introducta censetur sub Rege *Magno Ladulasio* anno 1482. in Comitiis *Holmiæ* in Iunio habitis, ubi singulis orariis certus census impositus perhibetur, qui ad hodiernũ usq; diem permansit, in pecunia, frumento, pecore, labore. In *Gothia* vero divisio facta fuit ratione quantitatis juxta assis partes: In *Uncias* in *Ottungas*, *Siettungas*, *Tolfftungas*: & hoc etiam ratione vel intuitu pecuniæ, quæ tunc in usu fuit. **Tolfftung** enim *uncia* fuit, quarum duodecim *assem* constituunt, sed omne subjecta tabula melius explicaverit: non enim nostra lingva omnia assis nomina habuimus, sed tantũ *Unciæ*, Semi*ssis*, *Assis*.

Mensuratio agrorum apud Gothos juxta assis partes.

1. **Tolff**

1. Tolfftung år . . . $\frac{1}{12}$ id est, *Uncia.*
2. Tolfftung år . . . $\frac{1}{6}$/ id est, *Sextans.*
3. Tolfftung år . . . $\frac{1}{4}$/ id est, *Quadrans.*
4. Tolfftung år . . . $\frac{1}{3}$/ id est, *Triens.*
8. Tolfftung år . . . $\frac{2}{3}$/ id est, *Bes.*
12. Tolfftung år . . . Ottung id est, *As.*

Semiſſis Gothicus quam proxime accedebat ad *Trientarium* ſive *Ortugarium* Sveticum, pendebat autem in cenſu ordinario, duas, tres vel etiam quatuor tunnas frumenti, pro qualitate ſcilicet terræ vel agri. Alia ratione quantitatis menſurandi ratio eſt alibi, ut in *Alandia* per *marcas*, in *Finnia* diverſimode, in *Ingria* & *Livonia* per *uncos*, quæ quia legibus noſtris non prodita ſunt, lubens hic omiſerim.

Agrorum ratione qualitatis conſideratio.

Agrorum, ratione qualitatis, præcipua ex poſſeſſione & uſu diſtinctio. Vel enim tales ſunt, in quibus vel omnibus, vel pluribus, vel ſingulis, tantundem juris eſt ad uſum aut uſufructum, quo nomine etiam aquas & ſylvas intelligimus, quæ ſic affici & determinari poſſunt.

Fundi communes Allmenning.

Agri in quibus jus omnibus vel pluribus eſt, publici vel communes appellantur, Almeñing/ i.e. *loca talia quæ omnium ſunt vel omnium uſibus inſerviunt,*

& in

21,6, De fundorum ja°re e differ::

& in quibus alter alterum impedire aut prohibere non poteſt. Majores enim noſtri cum primum has terras occupaſſent, & in provincias primum, mox etiam in centurias ſive hæredas dividerent, apparet plus fuiſſe, quam quod ab unicuiq; centenæ vel provinciæ aſſignatis inhabitatoribus occupari & coli poſſet, ſive etiam quod aliqua inſignis utilitas aut etiam neceſſitas ſvaderet, publicos vel communes eſſe, ut idem juris in iis omnibus eſſet. Videntur autem fuiſſe in quadruplici differentia, quidam omnibus Regni incolis communes, qui alioquin *publici Regij* nominabantur **Konnngz Allmenning/** quod ſoli Regi de iis diſponendi eſſet poteſtas. Talia fuiſſe videntur deſerta illa verſus *Norvegiam* & montes illos intermedios, & immenſa illa Sylvarum ſpatia quæ *Lappones* pervagantur. Talia etiam loca quædam maritima intra & ad ſinus *Finnicum* & *Bothnicum*, ubi piſcaturam vitulorum, marinorum & halecum, omnes promiſcuè, nemine impediente, exercent, de quibus etiam decreto comitiali, quod habitum eſt *Holmiæ* Anno 1282. conſtitutum eſt, ut ea ſolius Regis eſſent, ad quæ reſpexiſſe videtur Rex *Carolus Knutſonius*, legibus illis quas piſcatoribus præ-

Communes omnibus civibus ſive regij Konungz Allmenning.

 ſcripſit

ſcripſit quas vulgo Hamn-ſkrå nominant, id eſt, *Statuta portualia*, quibus vitandæ confuſionis & violentiæ cauſa collecta ex pluribus & diverſis provinciis multitudo iis in locis viveret & uteretur; De his tamen nihil jure communi hodierno, ſed de iis tantum, de quibus jam dicam, Landz Allmenning.

Communes provincialibus, Landz-Allmenning

Sunt enim quædam loca publica ſive communia unius tantum provinciæ, quibus non aliis quam ejus provinciæ incolis uti frui permiſſum eſt, vulgo Landz Allmenning/ de quibus ut ſupra dictum eſt, diſponendi facultatem judex provincialis habebat, quoties ſcilicet aliquis portiunculam ex iis ſibi ad culturam expoſceret, nomine & cum conſenſu communitatis illius veniam colendi dabat, terminos culturæ circumſcribebat, cenſum imponebat, concedebatq;, ut qui vellent, ea deinceps emptione vel jure Emphyteuticario perpetuo poſſiderent, uterentur fruerentur, ita tamen ut pretium in ærarium provinciæ daretur, & canon etiam non Regis fiſco, ſed provinciæ præſtaretur. In jure *Weſt-Gothico* recenſentur quam plurima ejus provinciæ ejuſmodi loca, & quidem ſaltus & ſylvæ triginta octo, montes octo, Lacus viginti

2/1/6, De fundorum ra°ne e differ:.

viginti duo, flumina tria, quorum pleraq; hodie in privatorum dominia descripta sunt. Non desunt tamen & in aliis provinciis ejusmodi loca, etsi nominibus suis in jure non designentur.

Sunt deinde loca ejusmodi quæ uni tantum Centenæ (centuriæ) vel Heredæ communia sunt (Häradz Allmenning) circa quorum dispositionem & curam, idem juris habebat judex loci ordinarius, quod habuisse diximus judicem provincialem in elocando, censendo, vendendo &c. atq; hoc promiscue quoad sylvas & saltus: nam in aqua communi, præcipue quæ halecum piscationi inserviebat, in usu non obtinuit, ut quis emptione venditione vel quocunq; alio contractu privatam & sui tantum juris faceret, nisi in quantum ad agros aut prata alicujus terminaretur, nec id etiam ubivis.

Communes hæredæ Häradz Allmenning.

Deniq; sunt quædam publica vel potius communia, parœciæ uni vel pagis aliquot vel etiam incolis unius pagi (Bya Allmenning/item Granna Allmenning/alias Samfält) ut pascua, sylvæ caducæ, flumina aut aqua lacustris, quæ tantum illius parœciæ vel villæ incolis communia sunt & permanent, quamdiu inter vicinos conve-

Communes parœciæ vel pagi alicujus Bya Allmenning.

 nit,

nit, ubi vero plus altero alter fruitur, divisio ad distributionem agendi conceditur juxta censum & canonem olim impositum, præsumitur enim gravari, qui id tantum quærit quod suum esse potest. Si vero ante petitionem divisionis aliquid ex communi fundo excultum & elaboratum est, jura antiqua id cultori ad sexennium permittunt, aliquando & in perpetuum, sed eâ conditione, si modo vicinis tantundem cultui aptum monstrare possit, atq; eâ quidem lege, ut postquam & illud excoluissent, inter socios vel vicinos, ex æquo pro rata, nova omnis cultura divideretur. Majore certè æquitate & ratione, quam jus novellum, quod usum tantum ad triennium concedit, ac deinde in priorem statum reponit, habitâ procul dubio ratione ad id, quod sine communi damno desiderari non potest, quamquam damnum nullum foret, si quam favent jura antiqua industriis & laboriosis, tam niterentur omnes ad culturam. Sed hæc tantum inter vicinos unius pagi: ubi vero inter plures controversia fuit, non juxta quantitatem canonis aut census, nec pro numero incolarum, sed pagorum, divisio facta fuit, & seu pauciores seu plures essent, æquales singulis portiones datæ,

nisi

2,1,6, De fundom ra're & differ:.

nisi sylva esset frugifera adeoq; sepimento circummunita, ea enim juxta censum in singulos villicos divisa fuit, quæ leges etiam hodie obtinent.

Loca communia territorij aut provinciæ alicujus ad divisionem raro permissa fuerant, licebat tamen usucapere & præscribere, ut factum videmus in *Uplandia* circa saltum vel sylvam communem *Troydensem*, quæ cum tot Regum privilegiis munita & legibus circumscripta fuit, de ea tamen hodie parum superest. Præscriptio autem currebat, cum sepibus aliquid in communi sylva comprehensum esset, & ad conniventiam vel taciturnitatem eorum quorum interfuit, tamdiu usurpatum, donec putrefactis duabus tertiam restaurassent. Villis enim loco publico vicinis aliquid ex eo delibare concessum, sed certa mensura, quam jus *OstGothicum* ad clamorem & jactum determinat, in aqua ad jactum, in sylva ad clamorem. Posita enim ad arundinetum navicula novem ulnarum, cujus prora in arundine, puppis in alto esset, quantum retro à puppi, vir jactâ cuspide, spatij in aqua emetiri poterat, pro proprio adversus communitatem sibi vendicabat. In sylva verò vir consistens, in ultimis agelli sui ter-

Quomodo loca publica sive communia præscribi poterant.

minis, quousq; elata voce clamor ejus tranquilla nocte, cum est brevissima, exaudiri poterat, eo usq; terminos possessionis suæ in loco publico proferebat, vel ut jus *Helsingicum* definit, quousq; jumentum agere posset, cum dies est brevissimus, sic ut domo abiens paulo ante solis exortum cum cæsorum palorum vehiculo redire possit ad meridiem.

Quid cuiq; juris in locis publicis sive communibus.

Atq; sic quidem loca publica vel communia singulorum fieri poterant. Ius autem quod singulis in loca illa, quatenus publica vel communia, competebat, consistit præcipue in lignatione, piscatione, fœnisecio. Modum in singulis hisce jura vetusta non præscribunt, sed ut cuiq; libitum, permissum, & ligna quidem non ad focos tantum sed & ædificia & sepimenta construenda, etiam ad carbonariam exercendam cædere sylvam licuit, & exurere pro semente facienda, quod & hodie concessum, sed sub certis conditionibus; pastio & piscatio promiscua fuit, fœnisecium certo tempore alligatum. Atq; de hoc quidem usu nullum dubium unquam fuit: De dominio & proprietate eorum major difficultas videtur, quia enim non tantum usus fructus ex æquo ad omnes pertinuit, sed etiam ubi controversia inter ejus-

2,1,6, De fundorum rane & differ:.

modi fundos, inter territoria & provincias, exorta fuit, ipsi incolæ domini litium fuerunt, quorum consensu, si quid ex iis excolendum, elocandum vendendumve foret, non præfectus aut vicarius Regis, sed judex vel provincialis vel hæredarius sive territorialis disponeret, de jure eorum ad dominium non ambigendum esse videtur, præsertim cum publicos ex iis reditus sibi vendicarent, ex quibus tantum trientem Regi, dodrantem sibi reservabant, argumentum non leve popularis status, diviso cum Regibus jure fisci, nec in his tantum sed & mineralibus, quæ perinde ut reliqua omnia fundi dominum comitabantur, & in privatorum erant possessione. Rex *Magnus* Ladulås in comitiis quæ habita fuerunt *Holmiæ* anno 1282. legem rogâsse fertur, ut quæ provinciales sive etiam privati sibi propria fecissent, in ripaticis fluminibus quibusdam & molendinis, mineralibus & fodinis, cumprimis vero ubicunq; & in quacunq; provincia aliquid reperiretur cultui aptum, nondum à privatis occupatum, id fisci censeretur, atq; ex eo decreto permansisse certum numerum fluminum, piscationum, molendinorum, fodinarum, sylvarum &c. quæ Regi cesserunt,

reliqua

reliqua fuiſſe & etiamnum eſſe in privatorum dominio. Videtur tamen Regibus etiam antiquitus fuiſſe jus aliquod ad dominium fundorum ejusmodi communium ex jure *OſtGothico*, ubi proceſſus præſcribitur Regi in venditionibus ejusmodi fundi obſervandus. Sed lapſu temporum, ut fieri ſolet, in tanta viciſſitudine per electioné obnoxiis aut ignaris Regibus, jura fiſci vel remiſſa ſunt vel etiam omiſſa, quo minus mirari liceat tantum ſub Rege *Chriſtophoro* extero & precario licuiſſe, ut loca ejusmodi populi facerent, & judicum diſpoſitioni ſubijcerent. Satis conſtat enim poſterioribus ſeculis loca ejusmodi absq; ullo diſcrimine, provinciæ-ne fuiſſent, centenæ vel parœciæ, Regis & fiſci cenſita fuiſſe, Regia vocari & Regis vicarium vel præſidem provinciæ nomine Regis habuiſſe de iis diſponendi facultatem, terminos culturæ definiviſſe, copiam colendi feciſſe, cenſum impoſuiſſe, deniq; in tabulas & libros rationum inter prædia fiſci retuliſſe. Edidit de ea re edictum *Guſtavus Primus*, ne quisquam absq; venia Regis fundos ejusmodi exercere, & ſui juris facere præſumeret, licere autem ut fiſcales colere, vel etiam ut cenſuales aut jure Emphyteuticario,

ſi id

21, 6, De fundorum ratione et differ:.

ſi id probari poſſet. Similia in mandatis, ſuis reviſoribus dedit Rex *Ericus*, & brevi crevit numerus prædiorum fiſci. Idem factum ſub Rege *Johanne* & *Carolo Nono*, cujus etiam edictum extat, ut qui ejusmodi fundos excolere vellent, ejus rei veniam à Rege impetrarent, quam tum demum à ſuis præfectis dari juſſit, quum per inſpectores in hoc deputatos certo conſtitiſſet, fundum communem eſſe, nec pagi aut villæ alicujus commoditates vicinitate novæ coloniæ impediri. Conſtitutiones novellæ diſtinctionem quandam innuere videntur pro deciſione hujus controverſiæ, quâ Regi non tantum dominium ſupereminens in omnia (de quo hoc loco non agitur) ſed æqvale ſeu potius commune cum reliquis territorij aut provinciæ incolis tribuitur, eo ipſo qvod reditus ex ejusmodi fundis ex æquo dividat cum fiſco, provincia aut territorio; pœnam etiam pecuniariam, quæ delinquentibus contra præſcriptas de jure hoc communi leges imponitur, eodem plane modo; cum jus commune ſoli territorio vel provinciæ & reditus iſtos & mulctam tribuat. Fundamentum & ratio hujus videtur, quod cum in quolibet territorio vel provincia fundi & fiſcales ſint & vectigales, ſive nobilium ſive plebejorum,

Jus Regis in fundis communibus videri.

æquissimum etiam sit ut domini eorundem ex eodem jure participent & fruantur: atq; hæc quidem de fundis, quatenus publici vel communes sunt. Proprij in certi alicujus & particularis domini possessionem definiti, sunt vel Regis, vel coronæ, vel subditorum, nobilium & plebeiorum, atq; hi omnes vario jure possidentur, de quo mox.

Proprij.

Regis vel fisci prædia Upsala ödhe dicebantur, id est, possessiones *Upsalenses*, vel possessiones Regum *Upsalensium*, quia ibi olim sedes Regum & centrum Regni: Fuerunt autem antiquitus certi in qualibet provincia, nec numero quidem multi, quare Rex *Magnus* Ladulås conquestus est in comitijs sæpe dictis, non posse se ex iis familiam & dignitatem regiam sustentare, obtinuitq; ut regalia fisci plura constituerentur, quia vero certissimi & soli fere fuerunt reditus ex fundis coronæ, cura cumprimis in iis augendis & excolendis fuit, cautumq; ne aut exteris traderentur aut quovis modo alienarentur in præjudicium successoris in Regno, quippe cum fundi hi, perinde ut regnũ ipsum, utpote electione aut hæreditate per conventionem certis legibus delatum, jure feudali possiderentur. Describuntur autem sic, ut vel anti-

Fundi Regii sive Fisci Upsala öde,

2,1,6, De fundorum ratione et differ:.

antiquitus sic nominati fuerunt, Upsala ödhe/vel etiam si eo nomine non appellati, ab immemoriali tamen tempore in possessione coronæ fuissent, quocunq; tandem titulo devenissent: Upsala ödhe/ eller så gambla Cronegotz / at ingen minnes eller aff samme sagu weet/ huru thet först vnder Cronan kom. Certis tamen casibus etiam posterioribus seculis fundi privatorum, Regis & fisci fieri poterant, ut si quis patriæ arma intulisset, Regi insidias struxisset, hostem ope aut consilio juvisset, aut alioquin crimen aliquod læsæ Majestatis conmisisset. Item si debitam ex fundis suis militiam non præstitisset, si instante prælio aufugisset. Olim tamen trientem tantum ex iis fiscus, trientem populus, trientem sibi damnum passus vindicavit; hodie Rex jus suum ad fundos ejusmodi alicui ex agnatis vel cognatis cessit, quatenus ejus criminis non rei, sed officio suo meruisse videntur. Feudales etiam redeunt ad coronam, conditionibus non seqvutis aut non impletis. Censiti quoq; sive vectigales in proprietatem fisci cadunt, si census impositus toto triennio non persolvatur, ita tamen ut proximis hæredibus eo præstito redimendi sit facultas. Nec refert domini

an coloni vel usufructuarii culpa census soluti non sint; fiscus agrum ipsum obligatum habet, in quo ab initio tacitam videtur habuisse hypothecam. Agri vel fundi qui in privatorum sunt dominio, vel allodiali, vel feudali, vel jure emphyteuticario possidentur. Allodiali jure possidentur multi tam nobilium quam plebeiorum agri & fundi, quibus faciendi quidquid velint, dominis est libera potestas; ac de nobilium quidem fundis, qui vel hæreditate vel emptione, aut alio justo titulo acqvisiti sunt, nullum est dubium, qui liberi dicuntur (Frälße) non quod ab omni prorsus onere liberi sint (ex illis enim militia equestris & alia nonnulla præstantur) sed comparative & in respectu ad vectigales & emphyteuticos qui majora præstant. De plebeiorum fundis vectigalibus major dubitatio esse potest, ex rationibus quæ mox deducentur. Interim certum est eos hæreditate transmitti, vendi, donari, mutari &c. prorsus ut liberos allodiali jure, & differunt non in hoc tantum à fiscalibus, sed quod iis olim census impositus minor sit quam fiscalibus aut emphyteuticis. Nam est & hæc species quædam nostratium agrorum mediæ quasi naturæ inter fiscales

Agri privatorum.

Fundi allodiales

Agri vectigales.

Agri seu fundi Emphyteutici.

2,1,6, De fundorum ra...re e differ:.

les & vectigales : Sâmje-heller Stadgegodz: dixeris *pactitios* vel *conventionales*, ubi inter dominum fundi seu locatorem, & conductorem olim ita convenit, ut stato in annos censu, conductor & ejus hæredes perpetuo utantur, fruantur, ea tamen conditione, ne emphyteuta vel per partes vel in totum fundum deteriorem faciat, aut etiam alienet, quemadmodum nec ullo modo alienare potest, ut possessorem liberum, se tantum vectigalem faciat: deinde ut si toto triennio census non solvatur, exspiret contractus & expelli possit, quod supra diximus etiam de vectigalibus. Ejusmodi fundi monasteriorum aut Ecclesiarum fuisse videntur, & habebant hoc peculiare, ne singulis septenniis conducerentur, quod jure in nobilium & fisci fundis obtinuit.

Feudali etiam jure plurimi fundi & prædia apud nos possidentur, tam à nobilibus quam plebeis, Ecclesiasticis quam secularibus, & olim alio fermè quam hodie modo, cum feuda non essent nisi vitalitia, aut ad certum tempus vel ordini alicui vel personæ concessa: atq; hinc feudum nomen habet quod ad alimoniam & sustentationem datum fuerit. Vox *allodij* & *feudi* & *vasalli*, ut

Agri seu fundi feudales.

 hoc

hoc obiter dicam, origine plane nostra sunt & domestica, circa quorum tamen originationem se juris feudalis interpretes nequicquam miserè torquent. Alda Odal extat in jure *Uplandico* in sua propria & nativa significatione. *Feudum* vero majores nostri alimoniam vocabant, ut & hodie alibi in *Vallibus Orientalibus*, ubi & voces, & phrases seu modi loquendi in jure antiquo usitati, adhuc retinentur. *Feudum* ipsis alimonia: Wesall opis alienæ indigus, & tales fuerunt quibus primitus alimonia pro servitio præstito data fuit, neq; enim semper in fundis datum fuit, aliquando etiam in frumento aut alio reditu, quod à feudistis *feudum soldatæ* nuncupatur, quia plerumq; in solidorum datione consistebat. Feuda vero in fundis, nonnisi ad vitam, ut dictum est, dabantur, etiam illustribus personis, quomodo hactenus etiamnum in *Daniâ* collata fuerunt, nec ulla alia feudi speciei vestigia in jure antiquo extant, nisi quod Ecclesiis & monasteriis in perpetuum darentur ab hominibus privatis, non ut personarum tamẽ, sed officiorum essent, nec in hæredes sed successores transirent, quo iure etiam hodie fundi pastorum ruralium, Gymnasiorum & Academiæ *Upsalensis*

2,1,6, De fundorum ra°ne et differ:.

lensis possidentur, nisi quod à militia equestri & omni alio ordinario onere liberentur. Postquam vero regnum hæreditarium factum est, ad normam & conditiones *juris* per *Europam feudalis* etiam feuda ejusmodi introducta sunt, constitutis Ducibus, Comitibus & Baronibus, donec tandem anno 1604 decreto *Norcopensi* jus hoc in hunc modum constitueretur, ut si deinceps à Corona alicui ob merita & servitia præstita vel præstanda daretur, id fieret certis sub conditionibus. I. Ut non transiret nisi in descendentes masculos, iis deficientibus in filiam ejusq; masculos hæredes, si modo ei nuberet, quem Rex approbaret, & qui capax esset feudi, aut ex feudo dotaretur, recidente ad dominium directum feudo. 2. Ut nova investitura intra annum à novo principe peteretur. 3. Ut non liceret feudum ullo modo venditione vel oppignoratione alienare, nisi ut directo offerretur domino, vel ejus consésu & permissione alienaretur &c. Ex eo tempore jus hic feudale in viridi observantia fuit.

Ceterum de fundis vectigalibus sive censitis, gravis & magni momenti quæstio est, jam annis probe multis magna animorum contentione & mo- Controversia super fūdis vectigalibus.

& motu, & privatim & publice agitata. Quid juris habeat corona in ejusmodi fundis? & cum eos ſæpe donet vel vendat, quantum juris donatario vel emptori poſſit conferre? Seu quid ſit jus illud cenſendi vel, ut rectius dicam, ſoluto cenſu poſſidendi, **Skatterättigheet**/ de quo toties & tantopere poſſeſſoribus eorum cautum eſt, & cavetur, in quo conſiſtat, & quam late pateat? Quidam enim putant jus illud in eo ſaltem conſiſtere, ut poſſeſſor & ejus hæredes libere habitent & commorentur, ne pellantur aut eijciantur, etiam ut alienare, donare, vendere poſſint, ſed in totum, non per partes; etiam pro lubitu colere, ſed ſine præjudicio domini directi, id eſt, ut uno verbo dicam, poſſideri eos jure *Emphyteuticario*, his potiſſimum de cauſis:

I. Quia veriſimile eſt, ut hodie, ita & olim dominia in fundos acquiſita fuiſſe à plebe, per occupationem, ubi loca inculta aut deſerta, quæ in dominio Regis & Reipublicæ fuiſſe videntur. Notum enim eſt in partibus Regni borealibus & verſus occidentem, ubi ingentia ſylvarum ſpatia & latifundia, ut quisq; labore & induſtriâ excolit & exercet, in præmium diligentiæ pro ſe & ſuis hære-

21, 6, De fundorum ra[?]ne & differ:.

hæredibus retinere, etiam cum poteſtate alienandi, vendendi, donandi, mutandi &c. volente & conſentiente fiſco, quippe cujus reditus eo ipſo poſt annos libertatis augeantur, nec ideo tolli dominium Regis, ſive ſupereminens, ſive etiam directum. Loca enim ejusmodi ab initio Regis & Coronæ fuerunt, **Alla Förſtrande äre Kongens/ och thet ingen mann äger hörer Kongen til/** id eſt, *Littora maris Regis ſunt, & quæ nullius ſunt*, ſcilicet ex iis quæ intra terminos Regni & imperio ſubſunt, ex jure *Danico*, Regis cenſentur.

Hoc ipſum etiam arguere videntur conſtitutiones quæ olim factæ ſunt ſuper ejusmodi fundis, ut ne quis illos per partes alienare poſſit, ut ſi cenſus toto triennio non ſolutus fuerit, fundus recidat ad fiſcum, ut quotannis aliquid in iis ædificetur, & vel lupulus vel arbores plantentur, id eſt, ut melior non deterior reddatur &c. quæ omnia obtinent in fundis emphyteuticis. Si enim plenarium eſſet poſſeſſoris dominium quis prohiberet quò minus pro arbitrio re ſua uti, etiam abuti poſſet? Quis circumſciberet libertatem diſponendi, donandi, vendēdi vel in totum vel per partes? aut, ut ſi quando fundus in ſolutum dari de-

beat, ſine æſtimatione præſtetur? hoc enim, niſi jam ante dominium fiſcus haberet, iniquiſſimum foret & contra omnia jura reliqua, quæ quanto res pluris fuerit, jubent debitori reſtitui.

Ex nulla re vero id manifeſtius elucescit, quã inſtrumentis publicis, quippe cum fiſcus ea vel vendat pro pecunia, vel donet vel mutet, & jam allodiales jam feudales faciat, quid aliud niſi ut oſtendat eo ipſo in poſſeſſione dominij eſſe? Nec eſt quod excipiatur vectigal vel cenſum tantum vendi aut donari, id enim in inſtrumentis illis non diſtingvitur, ſed fundus ſimpliciter & abſolute cum omnibus ſuis attinentiis, in agris, ſylvis, paſcuis, fluminibus &c. venditur vel donatur, unde quamvis emphyteutam pellere non poſſint (de eo enim ipſi in inſtrumentis cavetur) juxta eum tamen colunt, ſi quid incultum jacet, paſcunt, lignant, piſcantur, venantur &c. freti illo jure quod ruſtico cenſuali non plus liceat agri vel fundorum cõemere, aut ſibi vendicare, quam ipſe colat & exerceat: Præterea cum corona æquali pretio vendat agros fiſcales & vectigales tantum juxta canonem vel cenſum olim impoſitum, ſequitur æquali pretio dato, vel in utriſq; dominium

trans-

21, 6, De fundorũ raºne & differ:.

transferri in emptorem vel donatarium, quomodo non ergo in cenſualibus? Fiſcus enim eodem jure vendit, nec in alteris reſervat ſibi dominium, in alteris transfert.

Verum enim vero certum eſt, plebejos, qui agros vectigales vel cenſiticos habent, 1. Iam ab aliquot retro ſeculis poſſediſſe, ſine ulla ipſis à fiſco mota controverſiâ pro ſuis & propriis, & per generationes infinitas transmiſiſſe ad hæredes, diviſiſſe, donâſſe, mutâſſe, oppignorâſſe, vendidiſſe &c. pari prorſus cum nobilibus jure & libertate quoad hoc, etiamſi majorem fiſco pendant cenſum, id quod infinita ſuper ejusmodi contractibus publice à judicibus confecta & extradita inſtrumenta teſtantur. 2. Iura præterea omnia, & antiqua & recentiora, in id conſenſum ſuum præbere, nec quemquam etiam hodie nomine fiſci auſum fuiſſe jus illud judicialiter impugnare aut avertere. 3. Sed nec leve argumentum eſt pro proprietate & dominio plebis in fundis ſuis, quod idem prorſus juris habent cum fiſco & nobilibus in locis publicis, ſicubi aliquid ex iis vel elocandum ſit vel vendendum; ut enim ante dictum eſt, hoc negotii datum fuit *præfecto communi-*

tatis, *Nomarchæ* vel *præſidis territorij*, ut quidquid ex eo proveniret, id in uſum communitatis inferretur, cujus lucri vel pretij æque participes forent omnes iſtius provinciæ vel territorij inhabitatores. 4, Præterea, ſi plebei cenſiti jus dominij non haberent in fundos ſuos, non vocarentur ad comitia, nec jus ſuffragandi haberent, cum id non niſi civibus & qui bona immobilia poſſident, detur; Iam vero conſtat ejusmodi homines ordinem quartum conſtituiſſe, & jure ſuo cum reliquis ad conſultationes, publicas admiſſos fuiſſe, ut qvorum intereſt, propter bona quæ habent & poſſident, & ex quibus cenſum præſtant, ſcire & conſulere quid è Republica videatur, & ex bonis ſuis contribui poſſit; Reliquos vero omnes, qui alienos fundos colunt, ab hoc cœtu excludi. 5. Nec tolli dominium plebis eo ipſo, quod corona vendat, aut in feudum conferat, juxta conſvetam in dominiorum tranſlatione circa fundos alienandi formulam: Formulam enim, quæ moris cauſa uſurpatur, non conferre plus juris quam fiſcus habeat, nec fieri poſſe, ut eodem modo fiſcus, quo poſſeſſor, conferat aut vendat; Duo enim unius rei in ſolidum domini eſſe non poſſunt; Quid? quod

21/6, De fundorū ra ne e differi.

quod ſuſpicari licet formulam iſtam ex ſuggeſtio-
ne quorundam irrepſiſſe, præcipue exterorum,
ſive ignorantium rationem ſtatus noſtri, ſive eti-
am cupientium ea Regum facere, quæ per Reges
ſua fieri vellent, cum ergo qui poſſidet, vendit,
juxta formulam ex jure præſcriptam, neceſſe eſt
illud dè dominio & proprietate intelligendum,
eſſe: Cum fiſcus vero; de cenſu & vectigali quod
fundo iſti impoſitum eſt, aut imponi poſſit, atq;
ad hunc modum integras ſæpe proxincias in feu-
dum Ducatus, Comitatus, Baronatus &c. confer-
ri, nec præterea tolli aut confundi dominia ſingu-
lorum. Nec refert quod plebeis cenſitis lege,
interdictum ſit, ne plus agrorum coëmant aut,
conquirant, quam ut exercere & colere poſſint,
eo ipſo enim liquet, quod pro dominio ſufficit ali-
quando plebeis emere conceſſum. Lex enim illa
non tollit poteſtatē ſed terminat ad culturam, ne
ſcilicet debito fiſco cenſus ſubtrahatur, qua lege
propterea omnes ſimulati contractus ſuper fun-
dis etiam inter Nobiles & plebeios eadem lege,
vetiti ſunt: Lex hoc ipſo dominium fundi Regi
non aſſignat, ſed tantum præſcribit quomodo
plebei agros ſuos colant & exerceant cum fiſci &

proprio ipſorum commodo, quod in provinciis nonnullis ante ſeculum, & quod excurrit, factum conſtat, quæ ut plurimum prius ſteriles, tunc novo à Rege monſtrato modo culturæ, fœcundæ evaſerunt. Quin imo nobiles ipſi, vel militares, qui ejusmodi fundos acceperunt, eo ipſo dominium plebis in ipſos agnoſcunt, quod volentibus vendere, jus *protimiſeos* nuper acquiſiverunt, ut poſt agnatos & cognatos qui jus retrahendi habent, primi eſſent in emptione, quod neceſſe non haberent, ſi bona illa emphyteutica eſſent: 6. Porro ſi fundi ejusmodi omnes emphyteutici ſint, quis eos plebeis in emphyteuſin dedit? Contra diſtingvuntur enim allodialibus, non niſi per modum poſſeſſionis ex locatione conductione. *Allodiales* enim ſunt ejus qui locat: *Emphyteutici* dicuntur reſpectu ejus qui in perpetuum pro ſe & ſuis hæredibus conducit, non poteſt autem monſtrari, quando fiſcus eos in emphyteuſin dedit, conſtat enim per multa retro ſecula Reges electione ad Regnum perveniſſe, & præfuiſſe authoritate magis ſvadendi, quam jubendi poteſtate, minime vero jus ſibi aliquod in bona ſubditorum ſuorum vendicaſſe. Regibus enim certus prædiorum numerus

 21/6, De fundorum ra^{ne} & differ:.

merus ex qualibet provincia constitutus fuit, quem minuere aut alienare jus vetat, sed nec augere poterant cum injuria subditorum, nisi sub certis conditionibus, ut si vel crimen læsæ Majestatis intervenisset, vel census aut militiæ onera ex ijs non præstarentur, ut ante dictum, sed nec Reges successione facti jus aut dominium aliquod nacti sunt in bona plebejorum & prædia subditorum suorum. Unio enim hæreditaria ab ordinibus Regni sponte cœpta, approbata, hoc tantum effecit, ne successor in incerto foret, de reliquo dominium subditis in bona sua ademptum non est: Reges enim populo debebant jus suum, ideoq; Regnum non patrimoniali jure, quomodo bona sua avita, sed hæreditario feudali possederunt, ut extincto ultimo hærede, potestas iterum ad ordines recidat, ut quamcunq; velint Reipublicæ formam amplecti possint. Quare non liquet, unde, & à quibus plebejorum agri & bona emphyteuticafacti sint, præcipue cum certus numerus sit eorum, qui vel à corona vel Fisco vel Episcopis & Abbatibus in numerum emphyteuticorum relati sunt, ut frustraneum sit eodem jure confundere *Censuales* cum *Emphyteuticis*, cum utriq; hic apud

nos

nos supersint, ut ante dictum. Præter enim ea bona, quæ proprie *Emphyteutica* habentur, **Sämseheller Stadge-Gotz**/ quæ sparsim reperiuntur, verisimile est Reges nonnullos nostri seculi bona quædam fiscalia in Emphyteusin vendidisse, quod præter vile illud pretium, quo bona illa sui juris pro solutione consveti canonis emptores fecerũt, instrumenta super hoc facta facile arguunt, in quibus nulla fit dominii translati mentio, sed juris tantum possidendi pro se & hæredibus in perpetuum; sed nec obstare dominio plebejorum, quod edicta Regum nonnulla exierint, de non distrahendo, vendendo vel dividendo prædio censuali per partes, cum enim jus commune id permittat, imo aliquando præcipiat, nunquam vetet, edicta illa vim legis universalis non obtinuisse, sed & ante, & post publicationem illorum, juxta *jus commune* practicatum & decisum esse constat, id quandoq; & publice interesse: Locupletem enim, & divitem agri egeno vendere posse, illius cum commodo & suo sine damno & nisi olim divisiones ejusmodi admissæ fuissent, præcipue in borealibus montosis & sylvosis provinciis, nunquam in tantum, hoc nostro seculo, aut numero

mero

2, 1, 6, De fundorum ra[illegible] e differ:.

mero colonorum aut reditu fisci crevissent, emptiones venditiones vero, si quæ per partes vetantur, fieri cum conditione, ne debitus fisco census detrahatur, oportere ergo censum translato dominio fundum sequi, atq; ea ratione, nec Regi nec plebi præjudicari. Quod autem censualia prædia post triennium, non soluto censu, publicentur & confiscentur, nihil obesse dominio eorum. Fieri enim hoc non tantum in *Emphyteuticis*, sed & *liberis* & *vectigalibus*, ut tacitam in ipsis fundis, unde aliquod fisco debetur, fiscus quoq; habeat hypothecam, & propterea juxta jus nostrum, nisi intra certum tempus luatur, pignus publicari & distrahi possit, nec ideo dominium tolli nisi post fatalia lapsa. Quod autem eo modo fundus sine æstimatione in possessionem fisci deveniat, non adeo esse iniqvum, cum quantulocunq; illo censu qui restat, possit & possessor antiqvus vel ejus hæredes & proximi redimere, & in eo præferuntur fisco, in quorum gratiam potissimum favorabile pretium. Hæc & alia non exigui momenti argumenta adferuntur, de quibus non meum est judicare, hoc saltem observato, acerrimas, ut hodie, ita & olim fuisse agrarias contentiones, & prædia

noſtra, præcipue *fiſcalia* & *vectigalia* fuiſſe in perpetua viciſſitudine, quæ res nonnullis concuſſura ſtatum videtur, vergente ut plurimum eò potentia, quò bona deveniunt: Unde notat *Ariſtoteles* in Democratiis ſemper legibus cautum fuiſſe, de certo agrornm modo pro ſingulis, & notæ ſunt apud Romanos agrariæ controverſiæ & leges. *Dani* antehac, ut ſtatui Ariſtocratico conſulerent, à Regibus ſuis obtinuerunt, ne ulla bona libera emerent & fiſco adijcerent, cum tamen fiſcalia libera facere, & ſemel libera facta, quamvis plebeio donata, non tamen ad hæredes ejus transmittere poſſint, ſed intra annum à morte poſſeſſoris vendenda ſint nobilibus, cum vice verſa, nobilium fundos nemini ex plebe emere liceat. *Guſtavus Primus*, primus etiam abſolutioris potentiæ regiæ ſtator & fundator, cum ejus tempore Eccleſiaſticorum potentia, coëmptis undiq;, vel oppignoratione, aut donatione acqviſitis agris, ſtatui gravis eſſet, quippe qui ultra trientem Regni jam poſſiderent, lege obtinuit per ſenatores Regni latâ, ut bona ejusmodi, quæ à tempore Regis *Caroli Knutſonij* ad eos deveniſſent, in priſtinum ſtatum, & ad Dominos ſuos reducerentur, vel redempta,

vel

2,1,7, De fundorū cultu, ædificiis villarū, pontibus & viis.

vel etiam nullo interveniente pretio revocata, prout ſcilicet venditione aut donatione fuerant alienata, quod difficile factu non fuit, cum reditus (ut ante dictum) in ſortem numerati, in ſolutum acciperentur; Quâ ratione, ut fiſco & nobilitati, quæ tunc exhauſta fuit & depauperata, conſultum: ita viciſſim nobilibus paulo poſt interdictū, ne emptione, pignoratione aut quovis alio modo bona cenſita, vel vectigalia ad ſe pertraherent, ne ea via contra leges, reditus etiam fiſci imminuerentur. Mutationes ejusmodi in quamcunq; partem, raro feliciter, nunquam ſine magna animorum acerbitate perficiuntur, id quod hiſtoriæ etiam noſtræ teſtantur.

CAPUT VII.
De
Fundorum cultu, villarum ædificiis, pontium & viarum refectione.

ARGUMENTUM.

Cultus rarò præſcriptus. Cuiq; pro lubitu permiſſus, ut olim Germanis. *Frumenti raritas, & alimoniæ penuriæ unde ſubventum. Hordeum, avena, ſi-*

na, filigo, Triticum, myrica, Lupulus & leguminum quorundam cultus nondum tentatus. Ædificiorum cura, villarum & molendinorum. Fluminum diversitas & ratio. Pontium & viarum.

Cultus agrorum.

HÆc de agrorum ratione & diversitate pro arbitrio humano, de eorum cultu nihil ferè præceptum est vel in quantitate vel qualitate, nec præcipi potuit in tanta varietate soli, quæ pro ratione cœli & situs, alium alibi desiderat, ut in eo non integræ tantum provinciæ, sed sæpè parœciæ & villæ à se invicem abeant. Olim cum universales & communes essent, quantum & quomodo libet colere permissum fuit, sufficiebant enim ex publico; nec semper vomere, sæpius sarculo actum est in exustis pro semente facienda sylvis, unde quidam nomen nos accepisse putant; Quem agriculturæ modum juxta alterum per vomerem, etiam hodie habent ubi saltus & sylvæ sufficiunt; quædam provinciæ etiam solum, ut *Finni* versus Septentrionem, *Savolaxij* & *Carelij*, non secus ac olim *Germani*, de quibus *Tacitus*: *Arva per annos mutant, & superest ager, nec enim cum ubertate & amplitudine soli labore contendunt, ut pomaria conserant, & hortos rigent, solo terræ*

seges

2,1,7, De fundorum cultu, villarum aedificiis, pontibus et viis.

seges imperatur. Ad extremum tamen nonnulla etiam arborum cura accessit, præcipuè quercus & fagi, quas cuilibet promiscue & ubivis plantare concessum videtur ex cap 33. l Bygda B. Lite enim inter possessorem fundi & arborum ortâ, præfertur is, qui segetum culturam mavult, solo segetibus apto, solo vero ad segetum fertilitatem inepto, præfertur in possessione, qui arbores possidet: Olim enim non sues tantum, sed & homines glande vescebantur, nec glande tantum, sæpe & cortice abetino & quercino, cum summa sæpe esset annonæ caritas, agriculturâ adhuc rarâ, sive quod pabulum ex eâ non sufficeret tantæ multitudini quæ olim hic fuit, unde tot gentium examina diversis temporibus *Europam* inundarunt. Quare frumentum non tantum evehere, sed & mercenario in mercedem dari prohibitum, ne aut agrum satione, aut familiam alimonia defraudarent. Sed nec servo frumentum accipere licuit sub pœnâ commissi in dominum fundi, perinde enim ut aliud pabulum in fundo consumi oportuit. Crebescente autem cultu, avenæ & hordei plurimus usus, ut qui ubivis cresceret, multus etiá

Cultus agrorum rarus.

ſiliginis, tritici rarior, lupuli vero nullus aut exiguus, cujus loco myricâ uſi ſunt, de qua antiquæ leges cavẽt,ne aut in aliena ſylva, aut in communi ante feſtum Divi *Olai* legatur. Perinde ut nec lupulus ante feſtũ *Bartholomæi*,ſed lupulus ſylveſtris, ignoto adhuc ſativo & domeſtico, quem poſteriorum ſeculorum leges imperant & ordinant,quæ ſi in viridi obſervantia eſſent, certaque culturæ ratio adhiberetur, quia ſolo natura ſubeſt, tanta & copia & bonitate haberi poſſet, ut advectitio minimè foret neceſſe. Nec dubium eſt, quin alia quoque legumina & fructiferæ arbores fruticesque hic creſcerent, ſi modo experiri, nec ad unum aut alterum eventum ſubſiſtere, ſed vel modum vel ſolum variare placeret. Tentavit & vidit noſtra ætas multa majoribus ignota, & ad eum, quẽ jam feliciter excercent, culturæ modum pro cujusque ſoli vel climatis indole nonniſi longa experientia edocti pervenerunt.

Ædificiorum cura.

Culturam ſoli ædificiorum cura ſequatur, non ante eam, primum enim unde vivere & ubi poſſis, conſiderandum venit, poſtmodum ut ſecurus ab incurſu aliorum & tutus ab injuria cœli. In ſepiendo nihil antiquæ leges diſcrepant à modernis.

 2,1,7, De fundorum cultu, villarũ ædificiis, pontibus et viis.

dernis. De villarum ædificiis admodum pauca habent, quia revera ea nec majoribus nostris magna, quidquid tandem de magnitudine eorum à quibusdam deprædicatur : ruditas certe fuit, si ad seculum nostrum conferatur. Nos cultum cum religione à *Germanis* & *Anglis*, illi à *Romanis* habuerunt, qui cum imperio & literis & stetisse videtur & cecidisse; olim ergo pro lubitu ædificatum, & quod *Tacitus* de *Germanis*: *Coluerunt discreti & diversi, ut fons, ut campus, ut nemus placuit, ædificiis transitoriis & in annum aut mensem positis.* Quare & leges vetustissimæ ædes colono injungunt, sed trinas tantum pro homine, pecore, frumento, quas secum coloni aut venientes advexerunt, aut manentes ædificarunt, & discedentes abstulerunt, perinde ut sepes, excepta tantum ea quæ villam includeret. Ædificiorum tamen, si quando plures cohabitarent, situs & ordo legibus astrictus fuit, in certa & ab invicem distantia, & ad solis ortum, meridiem & occasum mensione, **til jämföres och rätta Soolskipt**. id est, ut jus *OstGothicum* ait, **then nämmer solu som nämmer a/ och then fiärmer solu sum fiärmer a.** id est, *ut quisque fundum possidet vicinior, vel remotior â sole sive oriente, ita habitet*; ut por-

portiones uniuscujusque in agro, prato, ſylva, aqua,&c. correſpondeant ad ſitum villæ: **Aker epti Tompt/ Ång epter Aker/ gardſio eptir ångh. Swa Skogar tha liggi alt epta tompt/** aut ſi hæ ante conſtitutæ ſunt in ſua certitudine, ut villa ad ſitum earum ædificetur: **Ligga dhen all a Sår/ ta ſkall tompt epter them/ och ey thön epta tompt/ tha år thet laga låge.** Atque ad hunc modum ſituantur etiam hodie prædia ruſtica in provinciis Regni principalioribus.

Molendinorum.

Inter ædificia neceſſaria etiam molendina merito referuntur, de quorum poſſeſſione non convenit inter jus modernum, *Chriſtophorianum*, & antiqvũ. De jure moderno & noviſſimo fiſcus ſibi vendicat, *Chriſtophorianum* dat poſſeſſoribus fundi, antiqvum vero occupantibus ſive primum ædificantibus. Cum enim olim ſibi quisque in piſtrino moleret, magno labore & moleſtia, nondum cognita & in uſum traducta vi ventorum & aquarum, favet iis qui primi tentarunt, ſive in communi fundo, ſive etiam alieno, adeo ut è veſtigio ipſi occupanti in præmium diligentiæ & novæ rei tentatæ, jus aliquod tribuatur ne pelli poſſit; **Saa madir a myllom Stådh/ år firſt giårwårcka/**

huad

21/7, De fundorum cultu, villarum ædificiis, pontibus & viis.

hwad thet är allär a aldra Giötha äga/ eller aldra granna. Item å a Madir myllom Städh medan the fang äru all vrrottin/ id est, *Ut si cesset possessor fundi ædificare vel molendinum collapsum restaurare, succedat in jus loci extraneus,* imo vicinis etiam necessitatem imponit vendendi, aut de solo occupato cedendi volenti ædificare, adeo valuit boni publici respectus. Recentiora jura possessoribus tantum fundi jus ædificandi tribuunt, tanquã in loco vel proprio, vel communi, sed hoc pro rata, juxta quantitatem canonis vel census, si possessores unius pagi fuerint; pro dimidio vero si flumen inter duos pagos decurrat, non observato pluresne vel pauciores fuerint, & quia molendinis nullus census erat impositus, quemadmodum nec hodie in provinciis borealibus, ubi ferè singuli sua propria habent, arbitrarium erat vel ædificare vel omittere. De jure novissimo in omnia ejusmodi flumina, in quibus vel molendina vel officinæ metallorum excudendorum ædificari possunt, jus fiscus prætendit.

Quare inter privilegia nobilitatis numeratur, quod liceat ipsis in fundis eorum propriis ejusmodi opera vel officinas ponere, ne à præfectis

Regiis impediantur, aut censu onerentur. Hoc jus fisci tamen restringendum videtur ad flumina publica, quæ aut navigabilia sunt, aut quorum usus pluribus provinciis aut territoriis est communis, ut intersit mediam eorum partem pro piscium aut navigiorum transitu patere, quam nostrates idcirco venam Regiam appellant: Kongzådran.

Pontium & viarũ ratio.

Pontium & viarum, præterquam in proprio fundo & in usum tantum villanorum, olim exigua cura, libertate non singulis tantum provinciis sed & hominibus integra. Itaq; prout cuiq; visum expedire, vel ædificarunt vel diruerunt, securiores ubi aut nullus aut difficilis foret commeatus, cum provinciæ sibi invicem infestæ essent, aut à vicinis infestarentur, an quod laborum tæderet, quorum fructus non ex æquo ad omnes redundaret: Postquam vero commerciorum utilitas & unius imperium prævaluit, ad publica hæc quamvis singulis profutura, svadendi magis quam cogendi erant, etiam per præcones verbi divini & ministros sacros. Pontes itaq; sæpe propter animæ salutem à piis & religiosis ædificati sunt, deinde vis imperii accessit & legibus demandata, cum discrimine tamen, prout major minorve census erat, ita quisq;

21,7 De fundorum cultu, villarum ædificiis, pontibus & viis.

quisq; in proprio fundo instruebat, aut reficiebat.

Postremo etiam viæ Regiæ in singulis provinciis constitutæ, sed primo minus strictæ, ut quæ scilicet ab æde parochiali in urbem & oppidum proximum ducerent: Deinde laxius, ut quæ, tanquam venæ & arteriæ in corpore vehicula sangvinis & spirituum, ducerent à Regni limitibus aut oppidis & arcibus ad Metropolim Regni vel sedem Regiam, quales suo tempore Rex *Gustavus Primus* per *WestGothiam* & *Smolandiam* determinavit, quas etsi cura earum ad Regem pertineat, provincia tamen vel territorium quodlibet, per quod ducunt, ædificare vel reficere tenetur, sub inspectione præfecti Regij. Dictæ ideo **Allmänna wägh**/ id est, *via publica*. Item **Konungz wägh**/ **Karle wägh**/ *via Regis, via viri*, ad differentiam earum quæ aut ad locum judicij, aut ædem parochialem ducerent, quarum tamen idem fere jus erat, **Tingzwägh** / **Kiörkowägh** / *via judicij, via Ecclesiæ*. Viæ Regiæ.

CAPUT VIII.

De

Venatione, Aucupio, Piscatura & Pastione.

ARGUMENTUM.

Venatio antiquitus promiscua. Successu temporis restricta ad certas feras: Certa loca: Certa tempora: Venatio ferarum noxiarum omnibus concessa. Modi pro capiendis feris noxiis aut extirpandis: Avibus item rapacibus. Aucupia olim in usu per falcones & accipites. Feræ semper prohibitæ: Certis locis: Certis temporibus. Jus venandi quando & quomodo restrictum: Ad personas, ad saltus, sylvas. Feræ captæ divisio. Pisces Regij & privilegiati. Piscatio in aqua communi. Piscatio olim promiscua, nec ad tempus restricta. Pastio.

Venatio olim promiscuè usurpata & cõcessa

AD rem rusticam, de qua hactenus, etiam pertinet venatio, aucupium, piscatio, pastio. Ut enim ager frumentum & panem, ita obsonium aqua & sylva dabunt. sylva ex venatione ferarum & pastione pecoris cicuri. Venatio ferarum olim Skiögning dicta fuit, à verbo Skiöga, id est, *in sylvam ire, eamq; frequentare pro feris indagandis & capiendis.* Hæc venatio promiscue omnium olim, & omnibus & semper fuit concessa. Animantes enim feras

2,1,8, De venatione, aucupio, piscatura & pastione.

feras & sylvestres jure gentium & naturali existimarunt esse communes & fieri capientium. Itaq; nullo habito loci, aut temporis, aut personæ respectu talis lex prodita fuit: **Then a hara år håndier/ then a råff år reser/then a Warg år winder/ then a Biörn år batir/ then a Elg år fåller / then a Otter år or a takir/** id est, *Leporem habeat qui prehendit; Vulpem, qui elicuit: Lupum, qui suspendit; Ursum, qui confodit; Alcem, qui prostravit: Luttram qui flumine extraxit.* Omnium enim maxime meruisse visi sunt, qui difficilimam in captura operam præstiterunt.

Ius hoc postea ad certas feras limitatum fuit: Cum enim aliæ essent noxiæ, ut ursi, lupi, vulpes, gulones, hæ & ubivis, & à quovis, & omni tempore capi & interfici poterant, quin & in necem eorum, præcipuè lupi & ursi, omnes adacti fuerũt: **Alla agu Warg och Biörn söka ty at han år vråfle/** id est, *Cuilibet fas est ursum & lupum persequi, à quo vis major timetur*; præcepta tamen data & inventa ad eorum internecionem. 1. Sepimenta ita exædificata, ut feras eo provectas reciperent & includerent. 2. Per foveas ad eundem fere modum factas, ut descendenti ad escam (quæ in me-

Venatio restricta ad certas feras cuivis & semper necandas.

 dio

dio posita esset) lupo facilis esset, ascensum vero & reditum denegaret. Deniq; 3. per retia, quæ certa mensura quemlibet secum adferre oportebat ad venationem publicam. De his enim olim leges latæ, quomodo & unde instruerentur, quæ hoc seculo in desvetudinem ferè abierunt, rarò enim retia habentur, & impune, sepes nullæ, & foveæ tantum privato studio & sponte instruuntur, nulla amplius publica auctoritate. Iura *Sudermannica*, meo judicio, longe melius privata ausa publico promovent honorario. Luporum enim & ursorum interfectoribus præmium decernunt, exiguum à singulis (pecuniolam scilicet unam aut alteram) ab omnibus magnum, quæ si in usum revocarentur, haud scio, annon ut olim in *Anglia* & *Scotia*, majore effectu & efficacia, & minore fisci sumptu, & labore rusticorum, pecoris illæ pestes tandem funditus perirent: **Dräpir nogor gamblom Warg eller öder kull allan medh vngom Wargom/ gifwi honom Bonde hwar i fierdunga them een sina Penning. Hwar Biörn dräpir gifwi honom Bonda hwar fierdunge them är een Swenskan Penning!** Idem olim etiam juris *Germanis* fuisse ex *Cæsaris* commentariis didicimus:

Varia

2, 1, d, De venatione, aucupio, piscatura & pastione.

Varia, inquit, genera habent in Hercinia *ſylva, boves feros, alces, ſed inprimis urſos, bos ſtudioſè foveis captos interficiunt. Hoc enim labore durant adoleſcentes, atq; hoc genere venationis exercent, ut qui plurimos ex his interfecerunt, relatis in publicum cornibus, quæ ſint teſtimonio, magnam ferant laudem.* Nec diſſimilis mos *Iſlandis*, cujus meminit noſter *Olaus Magni, ut quicunq; noxiam beſtiam occidiſſet, à fiſco vel Regio præfecto, juxta crudelitatem præſentati cadaveris conſtitutum ſuſciperet emolumentum.* Ideoq; juvenes, cum plures occidiſſent, capita tantum abſtuliſſe, ac pro eorum numero decretam à jure mercedem exegiſſe; quod jus & nuper reduci cœpit. Idem juris fuit circa aves rapaces, quas & ſemper, & omnibus necare, non tantum licitum fuit ſed & lucroſum, ut colligi poteſt ex jure *Weſt-Gothico* & *Scanico*, ubi ſolutio mulctæ permittitur in ala aquilæ, quæ pretii æſtimabatur 18 pecuniolarum. Milvos & corvos jus *Norvegicum* ubiq; interfici ſinit, falcones vero in aliena ſylva ſub hac conditione capi, ut bes pretij domino fundi perſolvatur, quod de noſtro jure tenuit. De hodierno illorum jure prorſus Regii ſunt, ubicunq; tandem reperiantur, à nemine capi poſſunt, præterquam ſolius Regis ſcitu &

juſſu

jussu cap. 49. i Landzlëye B. i Norske Lagen. Contra enim quàm hodie, falcones hic in usu fuisse circa aucupia, ideoq; in pretio, patet ex jure modò dicto *Scanico* & *WestGothico*, ubi cavetur ne quis falconem inventum sui juris faciat sub pœna furti, nihil attento ubicunq; apprehendi possit, si modo crure fasciatus fuisset, & jus *Wesmannicum* idem ostendit, venationes scilicet canibus, aucupia falconibus fuisse instituta. Itaq; in querela damni dati, hæc suggerit fuisse dicta: **Tu heet man ihiäl med Höker och Hunde tinom/** item **giör Skada med Höker och Hunde/** id est, *Tu occidisti hominem, vel damnum dedisti cum falcone & cane tuo:* Frequens enim, & vulgare fuisse videtur, de quo leges præcipiant. Hodie querelæ & ejusmodi avium transfugia rara, nisi quod nuper tamen, & ante paucos annos in extrema *Finlandia* necatus à rustico accipiter insigni magnitudine ostendebat Regem *Galliæ* dominum fuisse, altero crure aureum, altero ex argentea lamina habens annulum, cum hac inscriptione: *Je suis au* Roy: *Duc de Cheureuse me garde*: Sed hæc obiter.

Venatio restricta pro Ut autem feræ hæ, de quibus jam dictum, semper, & ubiq;. & omnibus concessæ, ita è contrariò,

21/d, De venatione, aucupio, piscatura e pastione

trario quædam & ubiq; & semper denegatæ, quædam certis tantum temporibus, & locis; Damæ & capreæ semper prohibitæ fuerunt, quas nec nobilibus olim in proprio fundo necare permissum, Regi enim ubicunq; degerent, reservatæ: **Ingen må Rååå til sina jaga/ vthan Konungar til sine nytt och ey ellers**: Et longe ante jus *OstGothicum*, **Bönder må ey Rååå taka/ ty at han är Konungz Diur**/ id est, *Rustico damam capere non licet, fera enim Regis est.*

certarum ferarum immunitate.

Quod idem postea, & de cervis obtinuit. Cervi enim antiquitus non fuerunt, sed paulo ante tempora *Gustavi Primi* introducti, cervi inquam tales, quales hodie in australibus Regni provinciis reperiuntur. Nam species illa cervorum, quæ in borealibus degit, quos vulgo *Renos* vel *Rangiferos* vocant, ut hodie, ita & olim fuit, tam cicurum & domesticum, quam ferum & sylvestre. Damas & cervos posterioribus seculis indultum est, etiam nobilibus in proprio fundo capere, quo jure etiam hodiè nobiles, & quidem privilegiati, gaudent, exceptis locis, quæ expresè inter reservata Regi sunt. Qva ratione Alces in *Alandiâ*, cervi & damæ in *ölandia*, lepores & feræ promiscuè omnes,

C

Venatio certis locis prohibita Regis reservatis.

qvarum caro in deliciis & pretio, in saltibus Regiis prohibentur. Saltus autem hi ut plurimum circa arces Regias sunt, aut bonis adjacent iis qvæ sunt in patrimonio Coronæ, ita ut definiuntur, Konungz Parcker är Konungens eenskylte Egor som Upsal ödhe och annat tolckin. *Parci Regii solius Regis sunt, ut possessiones Upsalenses, & alia ejusmodi*, qvo nomine etiã in *Gallia, Anglia* & *Belgio*, vocantur *parci*, Vivaria, sive loca clausa alendis feris ad delectationem principum destinata. Sed *parci* nostrates latius patent, qvàm ut solis vivariis concludantur, neq; tamen ita latè extendendi, ut jura aliorum, qvæ ab immemoriali temporum decursu in fundis suis habuerunt, tollantur.

Venatio ad certum tempus restricta & certa loca.

Respectu locorum & temporum, alcium venatio prohibita fuit, & respectu qvidem temporis, ubiq;, â tempore *qvadragesimæ* ad initium mensis *Augusti*: ab illo vero tempore concessa fuit, sed certis in locis, in *Dalia Westrogothiæ*, *Dalia Wesmanniæ*, *Wermelandia*, *Gestricia*, *Helsingia*, *Angermannia*, *Finnia*. Respectu temporis, ubiq; etiam captura Sciurorum, Martium, mustellarum vetita fuit, ante festum omnium Sanctorum. Ab illo vero tempore permissa ad festum purificationis *Mariæ* nullo

(306) 21/d, De venatura, aucupio, piscatura & pastione.

nullo locorum reſpectu. Jus *Sudermannicum* ad feſtum *D. Michaëlis* retrahit, qvod & *boreales* hodiè obſervant. Jus *Vallium* â die S. *Catharinæ* permittit ad æqvinoctium vernale, aut etiam ultra. Eo enim tempore promiſcuè licitum, feras & aves necare jaculo, tendine, laqveis, decipulis &c. Cum hâc tamen exceptione, ut ſi fortè ad ædes parochiales, aut alio verſum profecturi, incidunt in ſciuros aut aves, liceat illos capere & interficere qvocunq; tandem tempore. Commodè antiqvitas ad tempora & loca reſpexit, ne aut multiplicationi officeret, ſi ubiq;, aut utilitati capientium, ſi intempeſtivè caperentur. Huc enim locorum electio ſpectabat, ut ibi permitteretur, ubi immenſæ ſylvæ, ingens copia & facilis ob vicinitatem tranſitus in *Norvegiam* & *Moſcoviam* ipſas alioqvin incolis ſubduceret: huc temporum electio, ut non tantum liberè generationi inſervire, & fœtus ſuos educare poſſent, ſed & pretium pellibus conciliaretur, qvibus ex hyberno frigore, melior pilus & color & conſiſtentia comparatur. Sed hæ leges qvamvis ſæpius tot Regum edictis munitæ & reductæ, & nuper etiam ad aves & piſces extenſæ, ut fœtura eorum conſuleretur: raro tamen ob-

ſervantur, ubi libertatis qvisq; priſtinæ memor & tenax ſuo ſe jure uti putat. Cuiq; enim in proprio fundo qvamlibet feram qvoqvo modo venari permiſſum, ut ante dictum, donec tandem venatio etiam qvæ fit per canes, funes & retia, interdiceretur, hodie etiam per arcus & ſclopetos plebi, tantum Regibus conceſſa, ut jus illud Regium, qvod primo feris, deinde ſaltibus nobilitatum fuit, poſtremò & modo venandi à reliqvorũ jure diſcriminaretur. Qvod jus tamẽ nobiles in fundis ſuis iterũ recuperarunt, ſed certis limitibus circũſcriptũ. Plebei, cane, jaculo, laqveis, tendine, decipulâ agunt, in *Vallibus* vero & borealibus Regni provinciis etiã ſclopeto omnes, tamẽ cũ diſcrimine in ſuo, alieno, publico vel communi fundo. In alieno enim niſi urſos, lupos, vulpes, gulones perſeqvi non licuit: Licuit tamen feram in proprio vel communi fundo percuſſam, in alieno & perſeqvi & conſeqvi, ſi inſtitiſſet, ſecus ſi ſemel deſtituiſſet. Ceſſit enim inventori, ſi vero in proprio vel communi fundo inveſtigâſſet, perſecutionem vero laſſus, in alieno aut communi deſeruiſſet, poſito in veſtigiis feræ arcu vel jaculo, divertere & redire licuit, ita tamen ut ſi intra binoctium ab alio caperetur, jus tantum armi unius cum pelle ſibi vendi-

caret

21/8, De venatura, aucupio, piscatura e spastione!

caret inveſtigator, reliqvum vero corpus cæſor. Ex jure *Gothico*, qvi trinoctium â perſecutione abeſt, dereliqviſſe judicatur, nec in ullam partem adverſus poſtea occupantem actionem habet. Ubi vero plurium operâ fera indagatur, aut etiam occiditur, ut convenit diviſa fuit, ex lege tamen percuſſori armus, canum dominis dimidia viri portio, & qvod reliqvum erat, inter ſocios æqvabiliter diſtribuebatur, qvod præcipuè obtinuit in urſorum, alcium & rangiferorum captura, qvorum carnes non minus in eſu, qvam pelles in uſu. Caſtores autem & Luttras in alieno captas reſtituere domino fundi tenebatur: In communi vero fundo retinere licuit: **Biur a ſår bøle ſom bonde/ hwir ſom dråpir biur och bryter hidhe hans / låte atir biurin/ thån ſom egnena atte och a trim marckom/** id eſt: *Caſtor propriam ædiculam ſeu foveam habet ut ruſticus, qvi occidit caſtorem & convellit foveam ejus, reddat caſtorem fundi poſſeſſori cum mulctâ trium marcarum*: feras autem fortunâ inventas ut qvæ non induſtria humana, ſed vel caſu, vel ab urſis & lupis proſtratæ cecidiſſent, licebat inventori ex parte ſuas facere, qvemadmodum & in ſylva inventi apum examinis pars dimidia domino fundi, altera

inventori cedebat; ſecus de jure novello qvo nihil inventori præter gratias debentur, ſecus etiam de jure *Danico*, qvo fera inventa, item balenæ & cete tantum fiſco addicuntur, cum aliqvo tamen monſtrantis beneficio. De jure tamen *Islandico* dimidium inventi piſcis domino fundi, dimidium inventori adjudicatur, qvod freqventia ibi cete, nec alia piſcatura fructuoſior, undè ſe ſuſtétant. In Dania vero rara, ideoq; Regia, qvare & ceti & ſturgionis piſcatio, nemini præterqvam Regi conceſſa.

Piſcatio. In piſcium vero genere nemo apud nos fuit proſcriptus, nemo privilegiatus, ſed cuiq; ſuus factus qvem fortuna ſive in proprio, ſive in communi fundo obtuliſſet, qvandoq; etiam alieno. Communibus enim ſumptibus ut plurimum piſcabantur, etiam hodiè in tractura retium tempore hyberno; Itaq; ſi unus alterve eorum qvi fundi vel aqvæ poſſeſſores ſunt, nolint ſumptus aut labores cum reliqvis ad opera & inſtrumenta piſcatoria conferre, conceſſũ eſt extraneũ aſciſcere, & prædæ participé etiã ex alieno facere, alioqvin in alieno piſcari nunqvam conceſſum. Qvod autem de feris & piſcibus dictum eſt, idem ferè juris circa volucres eſiles: **Vm ſugla gildi och biura wari lagh ſammu ſum um andra gildi.**

 2,1,9, De beneficiis humanitatis, hospitalitate & liberalitate.

Pastio ultimum est in re rusticâ, de qva cum leges modernæ ab antiqvis nihil differant, nec multa tamen præcipiant, iis non operosè immoramur, non ultra mercedem & officium pastoris procedunt, cum scilicet abolita servitute conductitii essent. Majores nostri communia ut plurimum & pascua & pastores habebant: nec interfuit plus minusve pecoris vel census haberet, nisi tantum in sylva glandaria, in qva numerus pecorum uniuscujusq; esse debuit, pro qvantitate census vel canonis, qvod & observatum fuit circa reliqvum pecus, sed in insulis tantum, aut locis sepimento circumscriptis, qvod hodiè tamen nisi modus excedatur non curant aut attendunt. Pastio.

CAPUT IX.

De

Beneficiis humanitatis, hospitalitate & liberalitate.

ARGUMENTUM.

Beneficentia majorum. Beneficia svaderi non imperari. Apud nos etiam imperata legibus. In casu paupertatis: ex incendio: Naufragio.

fragio. In casu adversæ valetudinis. In casu mendicitatis. Jus mendicorum. Leges tabernariæ R. Magni Ladulaſii. *Hoſpitalitas gratuita. Legibus ſubl ita & qvare. Leges in favorem viatorum, in casu necesſitatis vel etiam extra.*

COronidis loco inter civilia beneficentiam majorū commendemus. absq; dubio viri boni fuerunt hoc elogio digni, ſine odio enim & imputatione alter alterius fortunam ſublevâſſe videntur, nondum tanta habendi cupidine, adeoq; minore avaritiâ apud ſubvenientes, minore impudentia apud poſtulantes, cum ex alterâ parte neceſſitas peteret, ex alterâ humanitas daret, unius qvaſi patris familias fuiſſe videntur, cujus ingenuæ probitatis umbrā & veſtigia etiam hodiè animadvertere licet, in populo verſus ſeptentrionem, qvi procul ab urbibus & commerciis aliorum poſitus, plus candoris & ſimplicitatis habet, arctius qvoq; inter ſe amare & peregrinos humanius complecti videtur, fallere neſcius & falli. Diceres mores ab aureo ſeculo proximos, niſi fæda qvorundam avaritia impudentisſima petacitate, paulatim illos depaſceret & deformaret.

Mores majorum circa beneficia.

Qvanqvam

21/9, De beneficiis humanitatis hospitalitate et liberalitate

Qvanqvam autem beneficentia & humanitas eam qvidem obligationem non pariat, ut actione aliqva in foro civili ingratus, inhumanus vel immisericors conveniri possit, cum beneficia svaderi debeant non imperari, si beneficia dicenda sint; apud majores nostros paulo aliter tamen se res habuisse videtur, cum mores pro lege fuerunt, & ex iis quidam etiam in leges describerentur, qvales sunt hæ: 1. Si quis ex incendio aut naufragio pauperiem pateretur, tenerentur singuli istius territorii incolæ, in qvo damnum acceptum est, nemine prorsus excepto, sive Clericus, sive nobilis esset, qui modo domicilium & familiam haberet, juxta æstimationem damni accepti a bonis viris factam, fortunam ejus sublevare & resarcire, qvod subsidium jura nostra **Brandstudh** vocant. Olim definitum & certum a singulis, sed in electione qværentis positum, utrum illud a territorio petere mallet, vel ab eo qui causam damno præbuisset. 2. Ut si tempore messis servi alicujus aufugissent, vel adversa valetudine domestici detinerentur, opitularentur vicini in messe colligenda ad minimum ut quilibet unius diei operam præstaret, etiam postpositis domesticis suis ejusdem

Beneficia svaderi non imperari.

Beneficia imperata.

In casu paupertatis ex incendio.

In casu fugæ vel adversæ valetudinis.

In casu mendicitatis.

operæ laboribus. 3. Nec pauperes & debiles liceret arcere, ut non ad minimum & alimentum & unius noctis moram, & abeunti jumentum concederent. *Jus Norvegicum* vetat quemquam pauperem post solis occasum, & ante ortũ quacunq; tandem hora venissent, domo expellere, si quis vero recusasset suscipere, hospitio denegato, & illi fame aut frigore morerentur, teneretur is pœna ordinaria homicidii casualis juxta illud *Augustini*; *Si non pavisti, occidisti.* Hæc lex vero tanqvam exceptio addita est, ad illas qvas de diversitoribus & tabernariis omnium primus tulisse dicitur *R. Magnus Ladulasius* Anno 1260. qvæ extant capitibus, 24.25.26.27 libri primi juris Christophoriani: ne scilicet obligaretur gratis itinerantes alere, sed justo pretio, severissima in illos pœna constituta, qvi contravenissent. Ante illa tempora revera hic fuit, qvod *Tacitus Germanis* in genere tribuit: *nefas scilicet fuisse qvemqvam mortalium tecto arcere, pro fortuna qvemq; apparatus epulis excepisse, & notum ignotumq; qvantum ad jus hospitii neminem discrevisse.* *Adamus Bremensis*, qvi vixit paulo ante tempora *Ladulasii*, hoc præcipuè nobis tribuit hisce verbis: *Hospitalitate insignes præcipue sunt* Sveones,

Hospitalitas.

qvibus

qvibus est omni probro gravius, hospitium negare transeuntibus, ita ut certamen habeant inter se, qvis dignus sit hospitem recipere, cui omnia exhibent humanitatis officia, qvamdiu & qvot illic commorari voluerit diebus, ad amicos suos illum deinde certatim per singulas dirigit mansiones. Hæc ille. Qvædam jura adeo hospitum securitati favent & cavent, ut cum vitæ civium parcant, etiam in gravissimis delictis, puta parricidiis in parentes, liberos, in incestu cum iisdem, necatorem tamen hospitis peregrini, vivum cum mortuo colligari & puniri mandent. Sed ut ad liberalitatem nostratium redeam, mansit hæc liberalitas etiam post leges à R. *Ladulasio* latas, qvæ qvamvis tot subseqventium Regum decretis renovatæ sint & confirmatæ, ne nostro quidem seculo plenum robur acceperunt, in gente sveta gratis dare & accipere. Hanc autem de pauperibus & mendicis exceptionem in jure, quo hodie utimur, omisit Rex *Christophorus*, perinde ut & alteram illam de mutuis suppetiis, ad beneficentiam & opera misericordiæ homines potius svaderi quam imperari, aut illud fortasse reputans, quod *Tiberius* ad petitionem *M. Hortensii* : *Langvescere industriam, intendi socordiam, si nullus ex se metus aut spes esset, seqvuturos omnes aliena*

subsidia, sibi ignavos, aliis graves. Omissæ sunt & aliæ ejus generis: ut si viatori necessaria denegarentur, vel nemo diceretur esse domi, liceret diverenti alimentum sibi rapere, & pretium ejus, quanti visum esset, penes seqvestrum deponere. Liceret etiam viatori eqvum pascere in prato alieno, sed ad certam à via publica distantiam, tempore etjam brumali ex horreo alieno impunè sine pretio, tantum fœni capere, quantum ad refectionem eqvi lassi sufficeret, & eunti per hortum, coryletum, qvercetum aut raparium, liceret non modo carpere & degustare ex fructibus, sed etiam aliqvid, qvamvis ad exiguam mensuram, secum auferre. Qvæ leges postea, ut dixi, obsoluerunt, vel, ut leviores, omissæ, qvis enim modum poneret alienæ liberalitati? Jus Norvegicum cautius itinerantibus subveniendum duxit, nec nisi necessitate urgente, ut si navigantes ventis adversis detinerentur, nec alimenta aliundè suppeterent, fas esset pecora, cujuscunq; tandem essent, capere, modo cornua cum corio & in iis pretium relinqverent in portu. Idem concedit itinerantibus Jus *Wesmannicum*, si alimenta & pabulum denegetur, nisi qvod pretium, qvanti visum fuerit, penes seqvestrum deponi jubeat. Juris *Angariarum* & *Perangariarum* meminerunt leges *Helsingicæ* & *Wesmannicæ*, sed sic ut soli Regi & ejus comitibus vecturam præstent, & præterea ei, qvi literas & mandata Regia defert ad provinciales, & præterea pauperibus, mendicis & debilibus.

LIBRI

2,2,1, De processu in criminalibus.

LIBRI SECUNDI
PARS POSTERIOR.
De
CRIMINALIBUS.
CAP. I.
De
Processu in Criminalibus.

ARGUMENTUM.

CRiminalia primo loco â majoribus tractata & qvare. Processus in Criminalibus. Citatio. Captura. Proclama. Salvus conductus, qvibus, qvando & â qvo dari poterat. Executio adversus contumaces. Emensio, Proscriptio. Distinctio criminalium in majora, Höghmåhl *: Minora,* Nidermåhl.

HActenus civilia fuerunt. sequantur criminalia, de quibus tamen antiquæ leges primo loco agunt. Cum enim Regis officium in eo potissimum consistere judicarent, ut vim & injurias à civibus suis propulsarent, concordiam — Criminalia olim in jure præmissa, & qvare.

inter illos conservarent, ante omnia, quæ eò ſpectarent, præmittenda cenſuerunt, tum demum de bene vivendo cogitandum eſſe, cum proſpectum eſſet ut ſecuri & tuto vivere poſſent.

Proceſſus in criminalibus.

Proceſſus in criminalibus à proceſſu in civilibus parũ diſtabat, quoad litis conteſtationem, probationem & executionem, præcipuè vero in criminalibus, modi illi probandi rem dubiã, quos ſupra memoravimus, locum habuerunt, per pugnam, ferrum candens & ſacramenta, rarius in civilibus, quia crimina omninò nolebant in dubio, ideoq; impunita.

Captura.

Pro citatione in manifeſtè capitalibus, vel captura in uſu fuit, quemadmodum & hodiè, ſi comprehendi reus poſſit; vel proclama, ſi aufugiſſet: raró tamen captura, quia raró crimen aliquod capitale. Deprehenſum enim in ipſo facinore, cæde aut verbere mulctabant, & impunè quidem, ſi cum læſo aliquo propinquitatis gradu conjuncti eſſent: fugientes vero non diu perſequebantur, ſi enim intra ſpatium viginti quatuor horarum prehendi reus non poſſet, dabatur ei à jure ſalvus conductus, ut tutus & ſecurus, ſi vellet, & comparere coram judicio poſſet, & diſcedere.

Salvum

2,2,1, De processu in criminalibus.

Salvus conductus.

Salvum conductum non judex tantum, ſed & quilibet & civis ruricola dare poterat, cujus modo fidei ſe reus judicio ſiſti commiſiſſet, præcipuè vero ſi reus proſcriptus cædem feciſſet: adeo ut ſi reus contra fidem ab ipſo datam violaretur, dabatur ei actio violatæ fidei publicæ, mulctamq; qvæ eo caſu decreta ſibi ruſticus ille vel civis vendicaret, argumentum non leve popularitatis, etiamſi ſub nomine regio fieret à miniſtro non regio aut publico. Si autem reus comparere nollet, executio facta eſt tanquam in confeſſum aut convictum, juxta ea quæ deinceps dicentur: ut ſi quid in bonis reliquiſſet, pretium cauſæ ex iis emetirentur: ſi nihil, ipſe proſcriberetur, & tantum actoris, ſed et cujuslibet vindictæ exponeretur, quando & proſcriptio facta eſt, & emenſio etiam ex bonis relictis, vel potius eorum confiſcatio, prout cauſæ gravitas exigebat.

Diſtinctio criminum

Criminalia majores diſtinxerunt in majora & minora. Majora **Höghmåhl** nuncupabant, id eſt, cauſas graves, ut quæ pœnam annexam habebant ut plurimum & mortem & publicationem omnium bonorum, dicebantur alias **uhrbotha** vel **obotha måhl**/ id eſt, *cauſæ immedicabiles*, quæ reſtitui non poſſent, & quarum gra-

tiam

tiam olim nec Rex ipſe facere poſſet. Reges enim quædam condonare poterant, ſed minora tantum crimina, nec ea ſemper tamen, ſed in primo ſuo & ſolenni Regni circuitu, quem vulgo Erichzgatu nominabant, qvum poſt electionem & inaugurationem ſingulas Regni provincias viſitarent, & acceptis obſidib9 ſubditos ſuos recognoſcerent & recognoſcerentur, tunc tribus tantum reis in qualibet provintia gratiam delicti & pœnam remittere poterant, modo culpa non foret inter graviora, hæc irremiſſibilis & ſupra Regis poteſtatem. Crimina hæc peculiarem in jure noviſſimo titulum habent, jure *Gothico* & *Norico* Nidingzwerck nominata, hodiè & jure *Chriſtophoriano* vox iſta ſtrictius uſurpatur.

Minora crimina reliqua omnia dicebantur Nidermåhl/id eſt, cauſæ inferiores, à pœna præcipuè, ut quæ non vitam vel totam ſubſtantiam tangerent, ſed aut in aliqua corporis inflictiva, aut exilio, aut infamia conſtarent, præcipuè vero in mulcta & pœna pecuniaria, quæ primitus omnibus delictis conceſſa fuit. Nos ſcrupulosè hanc diſtinctionē non ſervamus, ſed unumquodq; crimen, prout materiæ ratio expoſcere videtur, ad ductum præcipuè juris noviſſimi proſequemur.

2/2/2/ De fornicatione, etc.

CAPUT II.

De
Fornicatione, stupro, adulterio, bigamia, raptu, vi, lenocinio, incestu, sodomia, bestialitate.

ARGUMENTUM.

Fornicationis pœna. Freqventia concubitus illiciti. Lex Frisionum *&* Gothorum. *Stupri pœna. Vis & raptus pœna diversa. Jus nati ex violento concubitu. Adulterii pœna diversa. Adulterum interficere licuit & adulteram, ut mutilare naso, auribus, crine. Gestatio lapidum civitatis. Circumductio adulteri & adulteræ. Statua* Turonis, Scheningæ. *Amissio juris in dote & triente. In successione ab ascendentibus & descendentibus. Bigamiæ pœna. Lenocinium. Incestus.* Senecæ *sententia laudata. Sodomiæ cum bestiis pœna: de jure hodierno. de jure Gothico. Incestus. Privatæ confessionis operatio. Pœna confessionarii privatam confessionem revelantis.*

FOrnicationis pœna mulieri duplex, Infamia & successionis privatio in bona paterna & materna. Mulier fornicatrix semper infamis habetur, nisi nupserit ei quo cum consuevit, aut alioquin honestate aliquâ conjugii legitimi sublevetur. Favore enim ejus infamia aboleri solet, & eatenus quoq; jure succedendi privatur, Fornicationis pœna. Pro fæmina in infamia & successionis privatione.

privatur, quatenus constat culpam â parentibus ei non fuisse remissam: Agnatis enim & cognatis etiam invitis succedere potest.

Pro viro in pecunia.

Pœna vero pecuniaria fæminæ imposita non fuit, sed viro: Illa autem pro ratione temporum varia, & qualis est ex jure *Uplandico*, quæ notam censuræ Ecclesiasticæ vix effugiat, quod ex frequentia illiciti concubitus minuatur culpa, tollatur pœna. Pro puella enim prima vice, quatuor cum dimidia, pro vidua tres marcæ debentur: alterâ vero vice pro eâdem tres, pro vidua sesquialtera, post hac nulla debetur: ut in uno eodemq; delicto quo pluries fæmina deprehendatur, eò minor viri culpa videatur, quantumq; accedat ad cumulum peccati illius, tantum decedat de pœna hujus in damno pecuniæ. Si vero ultra tertiam vicem fæmina, secundam vidua, mutatis viris libidinem iterent, leges vetustæ virum prorsus dimittunt, procul dubio tanquam si rem habuisset cum meretrice publica, cui nulla facta esset injuria. Fæminæ vero satis esse supplicii in ipsa turpitudinis professione & infamia vitæ. Eandem legem habebant *Frisiones*, veteres *Gothi* in *Hispania*, fornicatrices flagellatas è provincia vel civitate ejecerunt

Freqventia fornicationis.

runt

runt, & si rediissent, alicui pauperi in perpetuam servitutem addixerunt.

Stuprum vero, quod in virginem vel honestam viduam commissum fuit, gravius puniverunt, nisi enim stupratam oppressor duxisset, naso mutilabatur, quæ sanè pœna repagulo fuit multorum libidini, & pudicitiæ munimento, ut aut non tangerent ingenuas, aut vitiatas ducerent. Pœna hæc postea commutata est in pecuniariam, sed ut tunc fuerunt tempora, gravissimam, scilicet 40. marcarum, quæ etiam homicidii ordinaria erat, quæ plerumq; infamiam comitem habuit, utpote quia nasi mutilatio redempta fuit, quandoq; etiam relegatio conjuncta, nisi tutor fæminæ intercessisset, **lösa näsa sin med** 40. **marker och flyr än ther med Staden.** Sed infamia & ejectio in desuetudinem abierunt, & quod levissimum est pro ratione moderni temporis, pœna tantum pecuniaria retenta. Stupri pœna.

Stupro, vis & raptus proxima. Raptus in volentes etiam committi potest, vis non nisi in nolentes. Illius pœna exilium fuit & publicatio bonorum omnium mobilium, hujus etiam vitæ supplicium. *Gothi* in *Hispania* raptorem cum Pœna raptûs.

omnibus ſuis bonis addixerunt raptæ ſponſo aut tutoribus in perpetuam ſervitutem, ita tamen ut medietas bonorum una puellæ, altera ejus tutori aut ſponſo cederet, nec unquam conceſſum fuit ſub pœna mortis raptorem raptam ducere, quantumvis non ii modo, ſed & parẽtes in id conſenſiſſent. De jure tamen *Scanico* id licuit, nec pœna major quam duplicata ſtupri.

Vis de jure noſtro etiam hodierno, vitæ ſupplicium meretur & publicationem ſive confiſcationem bonorum, aut exilium perpetuum, ſi comprehendi nequeat. De jure *Saxonico* etiam ædium demolitionem in quibus patrata fuit, etiam animalium brutorum decollationem qui juxta eſſent, quaſi opitulari debuiſſent & noluiſſent. Ceterum ſi ejusmodi violenta compreſſione mulier concepiſſet, nihil impediebat, quo minus ſic nata proles, ex aſſe hæres exiſteret, quaſi legitima: animum enim judicarunt, non corpus peccâre; & in generatione conſenſum magis quam conceptum eſſe ſpectandum & æſtimandum, dicebatur **Brutzbarn**/id eſt, filius luctæ.

Partus ex violento concubitu.

Nihil gravius in adulteros ſtatui poſſe videtur, quam quod arbitrium vitæ & necis maritis eſſet

Adulterii pœna.

esset permissum. De jure *Gothorum* in *Hispania* adulter extraditus est ei contra quem peccâsset, sive is maritus, pater, frater aut tutor esset, nec tantum cum libidinem ad effectum perduxisset, sed & ob conatum; deprehenso enim sollicitâsse pudicitiam uxoris aut filiæ, qvidqvid vellet tutori faciendi ei fuit potestas. Leges nostræ uxorem cum adultero deprehensum è vestigio interficere permittunt viro, etiam uxori adulteram viri sui, sed ita demum impunè, si in flagranti crimine alter vel etiam uterq; interfecti, cum vestium & stragulorum involucris in judicium deducerentur. *Jus Norvegicum* & *Islandicum* non tantùm hoc in propria uxore admittunt, sed etiam in matre, sorore, filia, fratris uxore, tanquam si justo dolore dedecus familiæ vindicetur ab eo, qui vel tutor est vel tutoris loco, quæ leges prorsus eædem sunt cum *Draconis*, nisi quod intra hunc vindictæ ambitum concubinam etiam comprehendant, fratris verò uxorem excludant. *Jus Saxonicum* meretricem & concubinam etiam hoc privilegio complectitur. Leges hæ latæ usurpatæ etiam ubi *Romanæ* valuerunt, cum aliqvo tamen discrimine. Nostræ enim vel utrumq; vel alterutrum necare

permittunt, id est, adulterum & adulteram, modo in flagranti crimine ἐπ αὐτοφώρῳ: id quod involucra lodicis & stragulorum sangvine maculata, in judicium delata ostendere debebant. *Gothorum* vero *Hispaniensium* & *Burgundionum* leges præcisè utrumq; neci dari volunt vel neutrum, alioqvin cædem personæ magis quam criminis odio fieri & alterius occisi pretium solvi imperant legib9 constitutum, præcipue adulteri si interfectus fuisset. Nam ob filiam solam pater non tenebatur homicidii apud *Gothos*, aut enim patrem non esse qvi filiam occideret, aut exemplo cæteris parentibus & liberis terrori futurum, qui maluisset nullam, quam impudicam habere filiam, ideoq; excusandum. Quod autem in deprehensos, id in suspectos aut etiam convictos non licuit, legibus enim & viâ juris, non vi agendum, & nisi crimen confessis raro vitæ supplicium indictum. De jure *Scanico*, accusatus adulterii ad ferrum candens provocare debuit, & si causâ caderet, vir in exilium, fæmina à thoro dimissa fuit, nisi fortè ad intercessionem actoris pœna remitteretur. *Gothi* nostri fæminarum vitæ perpetuo pepercerunt, nec in adulteriis tantum, sed & aliis criminibus

capi-

2,2,2, De fornicatione, etc.

capitalibus, etiam *Sveonum* vetustissimæ leges, solâ ignominiâ aut aliquâ corporis inflictivâ contentæ: Jus *Wesmannicum* adulteræ aut aures aut nasum præscindi jubet, aut statum ejus decurtari in perpetuam vitæ ignominiam. Jus *Uplandicum* multo crudelius, simul & aures & nasum & capillos aufert, relicto ostentui deformi & tristi spectaculo, cujus legis autorem ferunt *Magnum Ladulasium*, qui fortasse rigorem addidit mutilatione ista membrorum, meminit enim ante eum antiquissimæ apud *Germanos* legis *Tacitus*, quæ consistebat in crinium detonsione & ejectione, his verbis: *Adulterii pœna præsens & maritis permissa, accisis crinibus nudatam coram propinqvis expellit domo maritus, & per omnem vicum verbere agit.* Jus nostrum municipale, sola ignominia & relegatione contentum est, sed ignominiâ qvâ major adulteris excogitari non potest. Asservabant enim in curiis duos lapides, quos lapides *publicos* sive *civitatis* nominabant, Stadzens Stena. Hi scapulis adulteræ impositi sunt, ac deinde funiculus ad genitale adulteri membrum astrictus, quô sic onerata sessorem suum publice per oppidum circumducebat. Ad opprobrium mariti ejicientis

tis hæc ſcilicet contumelia turpiſſimi ductus acceſſit,ut pudorem quem fæmina domi non habuit, foris & in propatulo irriſus populi incuteret, dum oblectamentum libidinis ſuæ, quod ſecreto & clam admiſerat, cogeretur publicè & palam oſtendere. Variabant alibi: In oppido *Scheningenſi* refert *Olaus Magnus* ſtatuam fuiſſe *Turonis longi*,ad cujus genua, publicâ qvæſtione corripiebantur adulteri, qui inter brachia ſtatuæ connexa ferreis catenis, ſaxa, ludibriis ſpectantium expoſiti,in collo elevata tenebant. Sed ſive ad ſtatuam cum ſaxis ſtarent, ſive pudendo ſpectaculo circumducerentur, ſive à maritis deformatæ verberibus agerentur, ignominia ſemper ſpectata fuit & publicum exemplum terrori ceteris qvæſitum. *Nulla enim publicatæ pudicitiæ venia*, *unde etiam rara*,qvod *Tacitus* fatetur *in tam numeroſa gente adulteria.* Sed leges hæ poſtea obſoluerunt,admiſſâ pecuniâ,qvâ omnem ejusmodi ignominiam redimere conceſſum eſt. Præter hanc verò vitæ vel membri aut famæ jacturam, civiliter etiam adultera punita fuit in privatione juris ſui, ad dotalitium & trientem ex bonis mobilibus viri, quod inito matrimonio conſeqvutam ſupra

diximus,

 442, De fornicatione, etc.

diximus, quæ leges & hodiè vigorem suum obtinent: kan Kono hoor giöra / tå hafwer hon förgiordt Morgongåffwo sin / och alt thet hon war giffwin och giffs til/ thet taki bondan: *Jus WestGothicum* clarius, Warder hon ey wardt/ wardti skal hon gånga från boo och bodzelöhre i hwardagz Klådom sinom / *ne veste qvidem aut integumento corporis nisi vulgari concesso*, quod & *Tacito* obſervatum, cum *coram propinqvis nudatam* dicat *expelli.* Paritatem circa viri adulterium extranei *Gothi* ſervabant. Fæmina enim non ſolùm dotem recipit, ſed & morgennaticam ſive ſponſalitiam largitatem, & quidquid alioquin vel conſtante matrimonio habere poterat, vel ſoluto. Adulteræ etiam à ſucceſſione excluſæ ſunt, non parentum tantùm, de quo ante dictum, ſed etiam liberorum ſuorum, quos ex legitimis ſuis maritis conceperunt, tanquam indignæ, unde tanta labes ſoboli acceſſiſſet, ut inde fructus aliquid aut emolumenti ſperarent. Prope ad adulterium *Bigamia* eſt, quæ olim licita, quamvis rarior poſt Chriſti fidem, prohibita legibus noſtris, primum pecuniæ, mox vitæ pœnam habuit, qvæ cum hodiè in uſu ſit, pluribus non eſt dicenda.

Pœna Bigamiæ.

Lenocinii, Sodomiæ pœna.

cenda. De lenocinio, Sodomia cum maſculis, & antiquæ & novellæ leges ſilent, indicio, crimina incognita & inaudita, ne nomine qvidem hic nota fuiſſe, ideoq; magis vitata quam ſi vetita eſſent.

Seneca de clementia, lib.I.

Summa enim prudentia altiſſimi viri & rerum naturæ peritiſſimi, maluerunt velut incredibile ſcelus & ultra audaciam poſitum præterire, qvam, dum vindicant, oſtendere fieri poſſe.

Coitus cum beſtiis.

De coitu tamen cum beſtiis leges *Uplandicæ* nonnihil habent, ſed ſic ut delatori arbitrium permittere videantur tacendi vel agendi, & ad pœnam proſeqvendi, quæ in convictos vivicomburio aut defoſſione ſancita fuit, ut quoad ejus fieri poſſet, etiam memoriam tanti ſceleris abolerent. *Gothi* caſtratione contenti fuerunt, æqvum rati, ut in poſterum perpetuo ejus membri uſu privarentur, quod ſemel tanto & tam fœdo dehoneſtâſſent abuſu.

Inceſtus.

Inceſtus ſolæ leges *WeſtGothicæ* & *Dalicæ* meminerunt, quem illæ **Förnärwärck**/ Inceſtus, id eſt, peccatum appropinquationis nominant, & terminant, inter parentes & liberos, fratres & ſorores, cum duabus ſororibus vel fratribus, cum matre & filia, patre & filio, neq; ulterius ad præ-

ſcriptum

 2,2,2, De fornicatione, etc.

ſcriptum juris *Canonici*, qvod tamen in plurimis ſeqvutos fuiſſe ſcriptores juris noviſſimi, ſatis ſuperq; liqvet, extendunt. Hoc inceſtuoſos *Romam* mittit: *Dalicæ* tantùm novem marcarum mulctâ plectunt, neutrũ capitis ſuppliciô affici-unt: & tamen fatentur priſcis temporibus vivi-comburio ea peccata punita fuiſſe, & extat or-dinantia facta ab Eccleſiaſticis & militaribus Anno 1439 in ſuburbio Boreali *Holmenſi*, quæ ſe refert in conſuetudinem & leges Regni, quæ procul dubio fuerunt, quamvis hodiè non repe-riantur. Conſtat ergo olim ſeveriſſimè in illos animadverſum fuiſſe, & quidem vivi-comburio ſi gradus eſſet lege divina prohibitus, nec con-feſſio publica præceſſiſſet. In cæteris crimini-bus quæ ſtatutam legẽ haberent pœnam, nihil confeſſio ſive publica ſive privata juvit. Ubi hoc tamen obiter notandum, ſi de delicto ali-unde conſtaret: nam ſi confeſſionarius priva-tam alicujus confeſſionem criminis revelâſſet, teneretur iſte pœnam ſubire, quam leges ejus-modi crimini imponebant, reo confitente abſo-luto, tanti ſcilicet conſtitit confitentis crimina ſcire & divulgare.

Confeſſionarii pœna crimen revelantis:

CAP. III.

De
Violato juramento Regio, vulgò Edzöhre.

ARGUMENTUM.

Species criminis Edzöhre. *Legis hujus author. Ratio ejus criminis. Variatio ratione objecti in corpus vel bona. In corpus, cæde, verbere, mutilatione membri, stupro, captivitate. &c.*

PEccata illa in corporibus & corpora præcipue nostra, quamvis & aliena: quæ seqvuntur, in corpora sunt præcipue aliena & fortunas proximi, quæ cum variis modis lædi solent, etiam varia fuerunt pœnarum genera. Est fuitq; majoribus nostris qvædam species criminis quæ Edzöhre dicitur, sive Konungz Edzöhre. id est: *Juramentum juratum vel juramentum Regis juratum.* Rex in auguratione juxta capitulationes in jure præscriptas, cavebat subditis suis, quemadmodum & hodie, adversus vim in vitam, corpus & bona eorum, cumprimis vero de pace & securitate unicuiq; servanda domi suæ, in Ecclesia, in judicio, & fæmellis ubilibet;

Species criminum Edzöhre.

2,2,3, De violato juramento regio, vulgo Edzöhr.

bet; **Heemfridh / Kiörckofridh / Tingzfridh / Qvinnofridh.** Contra hanc si quis peccâsset, dicebatur & ipse & qvicunq; complices seu adjutores ei fuissent, fregisse juramentum Regis juratum, **brutit Edzöhret** / i. e. per ipsos stetisse, quo minus securitas juramento Regio stipulata rata foret aut vim suam haberet: cujus pœna ordinaria erat exilium & publicatio bonorum omnium mobilium, quæ pro rata inter fundi dominum, Regem & territorium dividebantur. Hujus legislatorem *Johannes Magni* & *Olaus Petri* faciunt *Bergerum Jarlum.* Jus *WestGothicum* filio ejus Regi *Magno Ladulasio* eas tribuit, ut qvas cum senatorum Regni consensu anno 1285. in alnu tulerit, sive verius confirmaverit. Extant enim in codice juris *OstGothici*, quod maxima sui parte sub *Bergero Jarlo* conditum scimus, unde omnia ferè verbotenus translata sunt in codicem *Christophorianum*, quæ non tantum libro octavo sed & sparsim nono & decimo continentur.

Criminis hujus ratio.

Includit autem hoc in generali sua significatione, vim aliquam, violentiam sive violationem, nec tam illam simplicem aut subitaneam, ex vehementi aliquo animi motu, quam præ-

meditatam aut destinatam ex proairesi, quę delictum aggravat, unde fit ut eâdem etiam pœnâ afficiantur, quicunq; in societatem adsciti, quocunq; modo operam pręstant ad scelus patrandum, ac proinde non impunè tantum repelli, sed & interfici possunt, quando corporibus nostris aut bonis aliter cavere non possumus: variavit autem ut culpa, ita & pœna ratione objecti, subjecti, loci, temporis, instrumenti, modi deniq; & causę, de qvibus singulis breviter.

Respectu objecti.

Ratione objecti vis facta fuit, vel in corpus, vel in bona: In corpus aut cęde aut verbere, aut membri mutilatione, aut captivitate, aut stupro. De pœna cędis ordinaria sequenti capite dicetur: Si vero cędes sit pręmeditata vel facta in locis privilegiatis, rationem hujus criminis habet, & pręter pœnam mortis & publicationem bonorum mobilium vindicatur de jure *Gothico* & *Christophoriano*, secus de jure *Sveonum*. Mutilatio autem membri non cujuslibet aut quomodo libet facta, sub rationem hujus criminis venit. Sed principale membrum esse oportet, vel ad usum vel aspectum, ut sunt, manus, pedes, aures, nares, oculi, dentes, lingva, penis, testiculi.

Mutilatio membrorum.

Muti-

2,2,3, De violato juramento regio, vulgò Edsöre.

Mutilationem etiam fieri non caſu aliquo aut in conflictu, ſed per violentam ſuppreſſionem, quando ſcilicet quis dejectus eſt, abductus aut conſtrictus. Jus novellum patratori talionem indicit, aut etiam vitæ ſupplicium pro arbitrio actoris, ſi prehendi poſſit: adjutoribus vero publicationem bonorum omnium mobilium, quæ ſoli læſo ejusq; hæredibus cedunt. Si vero principalis reus ſe fugâ ſubduxerit, licet, ut in aliis quibusdam criminibus, paciſci pro redimenda pace & reditu. Jus antiqvum talionem ignorat, mulctâ contentum, qvâ nulla, in marium præcipuè caſtratione, toto jure major vel ipſis parricidis & ſacrilegis impoſita fuit, ut generandi potentiam ſacris & profanis etiam vita ipſa chariorem habuiſſe videantur: pœnam enim cædis vulgaris quintuplicarunt, primum tanquam cædes non membri ſed hominis eſſet, deinde tanquam facta fuiſſet in liberos, qui in acciſis genitalibus præſumuntur fuiſſe, & potuiſſe generari, & quidem in filios duos & unam filiam, quorum illi tamen ſinguli duplo minoris æſtimantur quam filia, quod & olim de *Alemannico* jure factum fuit. Jam ſi connumeretur quid

& ob

& ob nævum corporis & vulnus inflictum debebatur, etiam mulcta quintuplo major fit, quæ tamen tota cessit mutilato, in solatiũ amissi membri: cum aliæ omnes trifariam dividerentur.

Castrationis pœna.

In pœna castrationis jus *Uplandicum* & à *communi* & à seipso quoq; dissidet: nam cum in similibus casibus ut in oculorum effossione aut lingvæ præcisione talionem admittat, quod & de jure communi obtinet, ut ante dictum, sive pro arbitrio læsi vitæ supplicium; *Jus Uplandicum* pœnam tantum in manus violatrices confert, quarum utramq; principali reo amputari imperat, alteram vero adjutori, satius existimans laborandi quam generandi potentia privare, ne talione hîc admissa civium spem minuisse & in homine etiam speciem puniviſſe videatur. Nihil mirum verò, si membrum genitale tanti fecerint, cum comam & capillos non minore ferè loco habuerint, cum naso certè & auribus æquivaluisse vel ex eo constat, quòd non minore mulctantur summa, qui capillum, quàm qui oculum eruit, quantũvis id vel casu, vel ex subitaneo aliquo iracundiæ stimulo fieret.

Calvaticnis.

Gothi in *Hispania* idem sensisse videntur, cum decalvationem

in

2,2,3, De violato juramento
(336) regio, vulgò Edzöre.

in gravioribus criminibus pœnæ loco ad fuſtigationem adderent, præcipuè hominibus vilibus & ſervis. Ad hanc, quæ corporibus infertur, vim, referuntur etiam ſupplicia innocentium, qui quoquo modo ſub ſpecie aliquâ juris puniuntur, quorum authoribus jus novellum talionem indicit, incertum quibus, actori, teſtibus, an judici, an omnibus ſimul, quorum concurſus fuit ad ſententiam iniquam ferendam. Jus *Gothicum* multò diſtinctius (quam æque non dixerim) peculiari pœna judicem punit, peculiari teſtes, quorum fides judicem ſeduxit, peculiari deniq; & maximâ actorem, ut homicidam; præcipuè, ſi per vincula crudelitas aliqva interveniſſet, duplicabatur pœna homicidii vulgaris.

Pœna innocentem damnantis vel punientis.

Hæc de vi in corpus aut membra, qvatenus inter hujus loci crimina cenſetur, quorum pœnam quodammodo inter antiquatas referre placuit, quod in ſummis judiciis Regiis raró ad eam reſolvatur, quippe quæ divites plus nimio gravet, pauperes vero nunquam, quibus, cum nihil habeant in bonis, perinde eſt ubi vivant & victum qværant, itaq; pro confiſcatione, aliqvâ corporis inflictivâ hodie puniri ſolent.

Rapina vel vis bonorũ raptorum.

Vis quæ fit in bona alicujus, cum ſcienti & invito extorquentur, rapina dicitur, vel vis bonorum raptorum. Nam bona ſoli, quæ vi quidem poſſideri poſſunt, ſed non rapi, in hujus criminis conſiderationem non veniunt, ſtatam habentes pœnam, quadraginta ſcilicet marcarum.

Dicitur tamen in jure *OstGothico* etiam *rapina*, **Jorderaan.** Rapina autem olim in exteros licita, in cives multo mitiore, quam furtum, pœnâ vindicabatur, dupli ſcilicet, aut etiam ſimpli reſtitutione cum mulctâ aliquot marcarum, quæ tamen aucta fuit, vel pro ratione pretii rei raptæ, vel pro privilegio loci in quo rapta fuit. Naves enim, inſulæ, viæ publicæ, ædes propriæ, peculiari gaudebant jure, ut qvibus Rex juramento in ſpecie caviſſet de ſecuritate. In communi pro hiſce pœna erat 40. marcarum, quæ etiam cædis vulgaris, donec ad extremum etiam ſupplicium capitis ſtatueretur, præcipue ubi quis ſe conſultò ad latrocinandum abdidiſſet. Si quis verò in horreum aut hortum alienum ad fructus decerpendos vi irrupiſſet, & defendere volentem vulnerâſſet, plectebatur pœna ordinaria, exilio ſcilicet & publicatione bonorum mobilium.

Pœnæ exaſperantur ratione pretii.

Subjecti.

Ratione ſubjecti, vel etiam objecti, omnium

4,2,3, De violato jurameto regio, vulgo Edzöre.

graviſſima cenſetur vis facta ab incolis in patriam, ſubditis in Regem, liberis in parentes, maritis in uxores, & vice verſa, ſervis in dominos, aut etiam ab homine in ſemetipſum &c. quorum quædam etiam ad effectum non perducta vindicantur, ut ſi quis arma patriæ aut Regi inferat, non vita tantum, ſed confiſcatione bonorum omnium puniatur, quæ lex ubiq; ferè recepta, apud majores noſtros ſola ferè capitalis erat, cætera enim pecunia expiari poterant. Fertur autem legis hujus author *Divus Ericus*, quanquam non res tantum, ſed & ſtylus legis arguat illam eſſe antiquiorem, & nobis cum vicinis communem, quibus legem Divus ille imperare non poterat, ut *Gothus* & *Danis*: *Dani*, **om man båhr Afwindz Skiöld** : *Gothi*, **om man båhr Skiöld öfwer Tang och Tanghbrycko.** *Nos*, **om man båhr Afwugan Skiöld emoot ſin rätta Herre.** Senſus eſt idem, *Si quis vel adverſum, vel inverſum, vel infeſtum patriæ ſcutum inferat, aut opponat, puniendum ſcilicet*, ut dictum eſt. Poſterioribus ſeculis reliqua etiam capitalia facta ſunt, cumprimis vero, parricidium in dominum pari pœnæ rigore caſtigatum: reliqua in parentes, liberos, con-

Crimen læſæ Majeſtatis.

 juges,

juges, ſola vitæ amiſſione & juris ſuccedendi, de quo ante.

Loci. Ratione Loci etiam violentiæ culpa ponderatur. Sicut enim quædam à jure privilegiata, quibus major reverentia & ſecuritas debetur, ut templa, & judicia, quæ ſancta habentur, de quibus ante, etiam forum ſive locus mercatus, ædes convivii publici, arces & aula Regis, naves etjam, & loca, ſeu ſtationes in expeditione nautica, deniq; locus quilibet præſente aut adventante Rege, vel Senatoribus Regni. Cumprimis vero domus propria, ſuum cuiq; tutiſſimum & jure munitum refugium, non apud noſtrates tantum, ſed & ubiq; fere gentium. Vetuſtiſſima tamen jura hic aliquam agnoſcunt differentiam. Prata enim, agri, fœnilia, horrea, ſtabula, portæ, atria, domus ipſa, alterum altero plus juris tribuit, tum ad injuriæ propulſationem, tum ad pœnæ pecuniariæ exactionem, quæ pro unius cujusq; loci proximitate ad lectũ, & ſedem ſummam, quæ patri familias debetur & ideo noſtris ſedes alta dicitur (Höghſäte) æſtimata & aucta fuit. Sedes hæc in cœnaculo, omnium maximo nitebatur privilegio, etiam in ſubitaneis rixis,

 2,2,3, De violato juramento regio, vulgo Edzöre.

rixis, quarum alioquin non magna habebatur ratio, ſed præter pœnam, pro maximo ſemper probro habitum & deteſtandum nefas, ſi quis hoſpitem iis in locis verbis aut verberibus læſiſſet.

Poſtea differentia hæc ſublata eſt, & privilegium domeſticum par ſibi ubiq;, extenſum ad ſexaginta paſſus ab ipſis ædibus: *Jus novellum* tantum ædes reſpicit, & quod ædibus cohæret, ut horreum, officinam fabrilem, & alias ejusmodi, quæ communiter extra villam ædificantur, propè tamen de jure *Uplandico* ſita eſſe oportet, ut ab ipſis ędibus in officinam malleus & forceps projici poſſent, ſecus privilegio loci non gaudent.

Sed & tempus quandoq; violentię crimen aggravat, facta enim feſtis & dominicis diebus duplo pluris ęſtimata fuit, aliquando & quadruplo, ut *Aroſiæ* in miſſa *Mariana* poſteriore: *Sigtunæ*, in miſſa *Mariana* priore; die *paraſceves*, *Upſaliæ*; die *divi Olai*, *Sceningæ*; die *Petri*, *Lincopiæ*; deniq; ubiq; diebus feſtis qui ſacri fuerunt *Divo Erico* & *ſancto Laurentio*, patronis Regni. Tempore quoq; ſationis & meſſis vis facta alicui in fundo proprio, duplicatione pœnę ordinarię Temporis.

 vindi-

vindicata fuit, perinde etiam si facta in expeditione, & vel presente vel etiam adventante Rege aut senatoribus Regni, ut modo dictum. Jus *Wesmannicum* determinat sacram hanc pacem ad septendium, publicato Regis adventu, ante adventum totidem & totidem post abitum ejus: extenditur vero hęc pax & securitas ad 14. dies convocato Regni senatu.

Instrumenti & modi.

Ratione instrumenti & modi, atrocitas etiam sceleribus accrescens æstimata fuit, & quidem diversimodè, ut si quis clam hominem interficiat, furtim auferat & abscondat, **lågger a löhn och bär i fiälster** / Jura **mörda** vocant, quæ vox nobis olim cum vicinis, etiam *Germanis* & *Anglis* in eadem significatione communis fuit: Item, ut si occupatum, vel prorsus inscium aggrediatur, ut dormientem, natantem aut alvum exonerantem, qvod stricta significatione jura **Nidingzwärk** nuncupant: Item si qvis projectum fustiget, ut jus *commune*: **Hugger eller slår blockhugg**/ ut jus *Sudermannicum*: **Ståhr a halß eller hofwud och slår** / ut jus *WestGothicum*: vel, ut uno verbo dicam, sic tractat ut superbia, contemptus & crudelitas nimia appareat. Fuit enim fustigatio

ejus-

 2,2,3, De violato juramento regio, vulgò Fridzöre.

ejusmodi in ſervos uſitata, unde & nomen accepit: Quamobrem ingenuo homini major ex ejusmodi verbere, quam vulnere ignominia, adeoq; etiam pœnâ majore vindicanda. Generoſi fuerunt, qui in vindicta extremè oderunt furta, & ſęvitiam omnem jacente hoſte, itaq; palam aggredienti, etſi eadem facienti minor pœna & culpa; per inſidias, aut ex occulto, plus & infamiæ & ſupplicii, ſi quando precibus & pecuniâ expiari non poſſet. Pari ratione vindicatum fuit, ſi quis fæminam, puerum, ſupplicem, invalidum aut etiam proſtratum verberâſſet: Item, ſi dente morſiſſet ut canis, vel eqvus, vel cultello aut ſagitta vulnerâſſet, cum enim ejusmodi arma ad alios uſus facta quilibet ſecum ferre ſoleat, eoq; minus caveri poſſint, viſum eſt ex uſu eſſe, pœnam in eorum abuſu exaſperari, ut aſſveſcerent in iracundiæ calore affectui moderari, & ſibi temperare. Sic, ſi incendium excitat ut homines juxta ac ædes cremet, ſi veneficiis ut & incantamentis enecat; In hiſce omnibus major quidem quam homicidii vulgaris pœna, ſed non una; qvatenus ad pecuniam & crumenam venit, ut olim omnia ferè crimina, vel duplicata vel triplicata

fuit.

fuit. In homicidiis tamen clancularìis, ſæpius mas rotæ, fæmina rogo impoſiti, & in veneficiis etiam publicatione bonorum mobilium, in quibus & conatum puniverunt pœna cædis vulgaris, etiamſi nulla mors hominis interceſſiſſet, ſed hoc tantum de jure *Gothico* & noſtro noviſſimo. Jus *Uplandicum* vitam ponit in arbitrio actoris, & in bona proximos hæredes.

Finis & cauſæ.

Ratione finis & cauſæ ob quam vis infertur, etiam culpa graviore pœna intenditur, ut ſi quis violetur & impediatur, ne jus ſuum quærat & proſequatur, aut etiam ſi vindicetur, quod vel accuſavit & litem movit, ut pars; vel teſtimonium dixit ut teſtis, vel ſententiam tulit ut judex, aut etiam ſi vindicetur in alio qvod alius perpetravit, aut vindicetur poſt factam transactionem & partem mulctæ ſolutam. Hujus violationis pœna ordinaria fuit exilium & publicatio bonorum mobilium: ſed ita, ſi ultra minas res ſtetit, ſeqvuto ſcilicet aliqvo vulnere vel livore, excepto ſi quis per vim abductus fuerit, alioquin aliqua etiam hic in conatum pœna, nec levis illa quidem pro ratione illorum temporum, ſed tamen non tanta. Atq; hæc latitudo & pœna ordinaria fuit

hujus

2723, De violato juramento regio, vulgò Edzöre.

hujus criminis, quod uno nomine majoribus nostris Edzöhre dicebatur, uno & peculiari sub titulo traditum, quod Rex *Christophorus* dividens, seposuit ea sub peculiari titulo quæ gravissima fuerunt, & cum vitæ & bonorum amissione conjuncta, quæ sola Höghmähl ipsi appellare placuit, i.e. *causas graves* seu *magnas*, de quibus ad ductum juris antiqui, breviter inter reliqua jam actum est. Quamvis autem tam latè pateat hoc crimen, ut modo dictum est, præcipuè tamen ejus ratio, à quo etiam nomen accepit, consistebat in violatione pacis & securitatis à Rege promissæ, unde in hoc crimine duo concurrebant actores, alter in quem, alter contra quem peccatum fuit, quibus ex ea causa diversam etiam pœnam debebat reus. Violatus enim cæde vel verbere ad livorem usq;, vel sangvinis effusionem, quærebat quod sibi jure debebatur, pœnam scilicet ordinariam cædis aut vulneris. Hospes vero, vel patronus & tutor judicii, Ecclesiæ, fæminę, quod debebatur ex mulcta seu confiscatione bonorum mobilium, ob injuriam contra promissam à Rege sibi securitatem in locis privilegiatis factam: quę duo crimina non discrepant,

ſed ſępe coincidunt, ut quod ob duplex crimen diverſis actoribus debebatur, id ſępe ſibi unus vendicet, ut ex ſuperioribus patet.

CAPUT IV.

De

Homicidiis.

ARGUMENTUM.

Homicidia olim nulla capitalia. Homicidia diverſa, & pro iis pœnæ diverſa. Homicidii pœna hodierna. Præſcriptio in homicidiis. Confeſſio homicidii ſpontanea in qvantum juvet. Homicidia fœminarum. Homicidia neceſſaria. Satisfactio in homicidiis â familia familiæ data: dominis data, famulo aut ſervo occiſo. Conditio fœminarum, impuberum, furioſorum in homicidiis.

Pœna homicidii.



Vanqvam homicidia qvædam, reſpectu perſonę in quam, aut modi, quo committuntur, in ea, de qua jam dictum eſt, criminum ſpecie ab antiquis numerata fuerunt, & quę, pręter ordinariam pœnam, conjunctam habent bonorum confiſcationem, Homicidiis tamen in genere peculiaris titulus datus fuit, homicidiis ſcilicet vulgaribus, quæ aut caſu, aut etiam ſponte committuntur, ſed vel in ſubitaneo qvodam iracundiæ calore & impetu, vel com-

2,2,4, De homicidiis.

compositis utrinq; ad certamen armis, quorum vindicta de jure antiquo nunquam fuit capitalis, nisi de jure *Gothico* in certis quibusdam casibus, sed certa tantum pœna pecuniaria, quadraginta scilicet marcarum redimenda, quæ Sporgiäld dicebatur, & post revisionem juris à R. *Bergero*, remansit ad tempora Regis *Christophori*, in *Dania* vero ad usq; *Christiani III.* Antea scilicet studio rei militaris, an quod miserabile existimarent, & noxium Reip. unius casu duos è medio tolli, vitam indulserunt, pecunia aut exilio contenti, quod & *Norvegi* fecerunt, cum aliqua tamen differentia: Bona enim omnia mobilia & immobilia confiscata fuerunt, exceptis allodialibus. Sed postea etiam confiscatio ad intercessionem procerum à Rege *Haqvino* remissa est, & triens tantum pœnæ pecuniariæ ordinariæ, i. e. tredecim marcæ cum octo ortugis fisco determinatus, quod & de jure nostro novissimo fuit, cum homicida ad intercessionem actoris ab exilio reversus fuit. Hoc autem non interfuisse videtur, qualiscunq; ; aut qvalicunq; modo cædes commissa esset, quod tamen de jure *Norvegico* observatum fuit: excepta enim in hoc casu homicidia fuerunt qvæ Nidingzwärck

Ratione temporum seculi superioris & hodierni.

nũcuparunt,ut quæ aut ex insidiis,aut in loco privilegiato,aut in parentes, liberos, conjuges, fratres,fœminas,pueros,dominos,judices,tutores, aut deniq; crudelitate manifesta essent commissa.

Ratione circumstantiarum.

Cum autem vulgari homicidio pœna etiam capitis statueretur, quod factum est anno 1442. in *Dania* verò & *Norvegia* anno 1550.non absolutè,apud nos præcipuè, sed certâ conditione & in casu certo admissa est, videlicet, si homicidium non tantùm voluntarium esset, sed & reus in ipso facinore, aut intra diem perpetratæ cædis comprehendi posset. Apud *Danos* vero, si inopinantem aut inermem, imparatumq; ad defensionem interfecisset,quibus exceptionibus admissis, qvota qvæq; homicidia capitalia fuerunt ? ideoq; de praxi hodie obtinuit, ut quandocunq; homicida præhendi posset,nisi salvo conductu interveniente, aut placato actore, puniatur, nec ulla hoc in casu admittitur præscriptio nisi fortasse pro circumstantiarum varietate ad pœnæ mitigationem.

Præscriptio in homicidiis.

Præscriptio enim illa annalis,de qua in jure nostro, currit tantum adversus actorem, ut si de homicida ei non constat intra annum à cæde facta,nec quenquam interea arguat & accuset, ut

ut

2,2,4, De homicidiis.

ut nec in postremum aliquem de ea, nisi confessum, in jus trahere possit. Ne tamen homicidia propterea prorsus impunita manerent, vindicta de incolis territorii, in quo cæsus jacuit, sumpta fuit, tanquam si vel cædem fecissent, vel connivissent, parum intenti pro investigando homicida ac proinde digni, qui ob cædem, non modo non lucrarentur quod per legem in ejusmodi casu habere poterant, sed & illud quod haberent, perderent. Hic tamen excepti fuerunt fæminæ & impuberes infra annum decimum quintum nati, in quos scilicet suspicio cædis non cadebat, sed & eatenus in collatione immunes erant, ut nec pro illis in ejusmodi casu præter dimidium mulctæ præstaretur. Ceterum, ut collationes ejusmodi fierent, de corpore delicti constare oportebat, i. e. non tam fuisse aliquem in territorio isto mortuum inventum, quam vulneratum & cæsum: **Hitter ey lijck ärrat och undat; Item synas ey a handawärck ather/a engin both firi dräp kräfia**/ i. e. *Si vulnus non appareat, mulcta nulla esto*; quæ male in jure *Christophoriano* omissa. Potest enim homo etiam ex alia causa subito mori. Lex Salica *Gallorum* pressius culpam tangit, *si quis* scilicet *invenia-*

Dulgadräp.

tur in convivio aut alibi, ubi qvatuor, qvinq; vel etiam plures una sunt, illos qvi remanent, aut unum convictum reddere imperat, aut omnes cædis illius compositionem conjectare. Item, *si qvis foris à casa sive iter agens, sive in agro positus à contubernio fuerit occisus, & tres vel amplius habuerit plagas, novem de contubernio jubet cædis conferre mulctam:* Nostrum, omnes & singulos, qvibus animus & vis cædi par esse credebatur. Ceterum homicidia, qvia non capitalia, etiam raró celata fuerunt. De jure *Norvegico*, homicidium à se commissum celans puniebatur & exilio, & confiscatione bonorum, quæ parricidio statuta, non damnosa tantum, sed & turpis & infamans, cum è contrario, confessi ordinaria tantum pœna, quæ non magna, plecterentur, sed ut in tantum juvarentur, eodem quo cædes die confessio facienda fuit, nec rogata quidem nec ulteriore fuga depretiata. Qvia tamen hæredibus occisi vindictam jura concesserunt, plerumq; fugere, quam fidere securius eligebant. Homicidam enim recentem ab ipso facinore, aut fugientem impunè interficere licuit, & hæredes ejus nihilominus ad mulctam cædis ordinariam tenebantur hæredibus, Regi, & territorio, cum tamen nihil prorsus ab iis exigeretur, qvi homicidam

42/4, De homicidiis.

dam occidiſſent, qvod tamen poſtea mutatum eſt, impoſita illis aliqva etiam pecuniæ pœna, ſed non magna.

Fugitivis vero ſalvus conductus ſtatim à lapſu primæ diei datus eſt, nec ulla ulterior à Rege, aut lege vis timenda, ſi placare actores vel hæredes occiſi poſſet, ad quod ſpatium ei menſtruum conceſſum, vel ad diluendum in judicio crimen, ſi mallet; ſi neutrum poſſet, aut vellet, redire in priſtinam conditionem licuit, datâ ad fugam 14. dierum libertate. Exilia tamen in cæde extranei leges *Gothicæ* remittunt, ne, ubi minimè putet, homicida vindicem experiatur, & in ejusdem cæde etiam populus eam mulctæ partem, quæ territorio debetur, remittit. Leges *Dalicæ* in cæde extranei necatorem & necatum Mezentiano quodam more colligari jubent, pœnâ ſatis gravi, ſi diuturnâ, de quo nihil definiunt. *Jura Svetica*, etiam noviſſima, fæminæ homicidæ parcunt, ne aut capite plectatur, ſi actor placari poſſit, ſed ut qualicunq; pœnâ corripiatur, aut in exilium pellatur, (quod tamen alibi vetat,) ut & ſi vindictæ inſiſtat actor & perſequatur, impunitate conceſſâ iis, qui eam hoſpitio excipiunt. In

Salvus conductus in homicidiis.

Fæminarum homicidia.

cæde

cæde necessaria, quæ vel ad vitæ, vel bonorum defensionem facta cognoscitur, nec vindicta hæredibus ulla concessa, nec pœna, nisi qualiscunq; & certo in casu imposita, quod & hodiè obtinet.

Necessaria homicidia.

Ceterum, quod *Tacitus* in communi *Germanis* tribuit circa luitionem homicidiorum, id præcipuè apud nos obtinuit: satisfactionem scilicet homicidii universam domum recepisse; quàm utiliter in publicum, non dixerim, juxta libertatem certe. Dicebatur hæc satisfactio, de jure *Gothico*, & *Scanico* præcipuè, **oranboth**/ i. e. *exsolutio pro aliis*, sive, ut alii derivant (quod ad *Taciti* sensum propius accedit) *satisfactio pro evitanda inimicitia.* **Ora** enim verbum est, significans inimicitias gerere, sic in jure *OstGothico* cap 7. **i dråpm V: Han orar wider**/ i.e. *cum qvo inimicus est.* De jure *Danico* **åtteboth** / *solutio familiæ â familia familiæ data.* Ejus usus olim in *Anglia* dicebatur **Sångield** / i. e. *Sangvinis compositio*, à *sangvine* & *gildo*, dabatur ob cædem à familia familiæ. Tertiam partem homicida ipse conferebat, tertiam cognati, tertiam agnati. Et si reus fugam quàm mulctam maluisset, onerarentur nihilominus agnati & cognati pro rata, ut aut satisfactionem præstarent, aut vin-

Satisfactio in homicidiis à familia familiæ data: oranboth

åtteboth.

2/2/4, de homicidiis.

vindictæ & ultioni exponerentur. De jure tamen *Gothico* agnati & cognati simul nonnisi sex~~tantem~~ præstabant, i. e. sex marcas cum dimidia, & qvatuor ortugas. Qvia vero, ut fieri contingit, plus justo sæpe reus à proximis exigeret, Rex *Daniæ* D. *Canutus* statuit, ut qvod agnati & cognati conferrent, per exactorem Regium reciperetur, & die stato actori præstaretur, id qvod tamen frater ejus *Waldemarus* statim abolevit, ne qvicqvam in posterum agnati & cognati inviti præstarent, sed ut solus homicida plecteretur, atq; ita quidem ut in conventu publico de satisfactione caveret, eamq; tribus dieb9 offerret, qvod nisi fecisset, proscriptus est , ac tum demum triens mulctæ ab agnatis, triens à cognatis exsolutus. Triente autem soluto, ab interfecti proximis juratoria cautio per qvatuor nominatos præstanda fuit, de cætero vindictam cessaturam : Cum vero trientem ultimum obtulissent, plena & integra per duodecim firmatores securitas data fuit, præmisso juramento ejus, qui homicidæ proximo sangvine junctus erat, qvod in ejusmodi casu ab illis vicissim tantundem accipere parati forent, unde juramentum illud *æqvalitatis* dicebatur, Jämnis Eedh. Ut au-

tem collatio facta est ab una parte, ita distributio in altera, tota familia pro membro suo satisfactionem dedit, tota recepit, atq; ita quidem, ut datæ bessem agnati, trientem cognati caperent (nam & sic de jure *Gothico* præstita fuit) & frater consangvineus natu maximus dimidium ejus, ex altero dimidio dimidium qui ei proximus erat, & quod superérat, quadrans scilicet totius mulctę vel satisfactionis æqvaliter ad septimum usq; gradum divisus fuit inter reliquos, sive illud ex besse, sive triente, prout agnatus, cognatusve esset, nam & sic ab altera parte collatum fuit, ut cujus maximum erat damnum, ejus foret & lucrum. Solutio autem intra annum fieri debuit, & quidem ad certos terminos, nisi semel & simul maluisset totum solvere: Interea vero conspectus adversariorum homicidæ & ejus proximis fugiendus, ut nec in templo quidem convenire jura permittant, nec unâ ire ad templum vel judicium viâ. pro fæmina tamen, & impubere, si forte homicidium commisissent, nulla ejusmodi satisfactio præstanda, qvia nec in exilium agi poterant, privilegio pacis domesticæ securi, satisfactionem pro iis tutor præstare debuit, vel ex bonis eorum, vel etiam ex suis, si bona illo-

2, 2, 4, de homicidiis.

illorum mulctæ non ſufficerent : ſed nec in cæde extranei, aut ejus qui in ſervili ſtatu redemptus erat, ejusmodi ſatisfactio exigi vel præſtari debuit, nec cauſa in obſcuro, quia aut dari non poterat, aut data non compenſari in ſimili caſu ab iis, qui aut nullos haberent agnatos, aut non niſi ſervos, vel exteros, quorum illi non poſſent, hi verò ſi nollent conferre, non cogi poſſent ſub alieno imperio. Fuit & alia quædam ſatisfactio peculiaris, qvæ dominis dabatur in cæde vel læſione ſervi, aut miniſtri ejus, quæ **Tucka** vel **Tuckaboth** dicta fuit, ſed dominis tantum ſupereminentibus, id eſt, in ſumma dignatione & officio conſtitutis, ut Regi, Duci, vel Comiti, Epiſcopo, judici provinciali, quorum authoritati hoc dabant, ut miniſtrorum eorum majora pretia ponerent qvam aliorum, reverentiæ eorum munimento, his exceptis, pluribus ut daretur, à ſolo familiæ ſplendore, & numero ſeſſorum ſeu ſtipatorum æſtimandum erat, ſi ſcilicet haberet peculiaris dignitatis locum, magiſtrum ſtabuli & culinæ, & quadraginta viros in famulitio quos cibaret. **Thet Herreman ſom hafwer Stallare och Stöckiare / och 40. ſeßa a ſielf ſine Kuſt.** Fuit enim in jure antiquo ſem- Tuckaboth. c

per perſonarum aliquis reſpectus, & à quibus, & in qvos, quomodo, quo tempore, & loco homicidium commiſſum eſt, cujus reſpectu pretium cædis, qvæ olim capitalis non erat, moderatum, vel remiſſum, vel exaſperatum, duplicatum, vel etiam triplicatum fuit. Atq; aliter de *Gothico*, aliter de jure *Sveonum*. *Jura Gothica* fœminis perpetuò parcunt, non in totum quidem, ſed in tantum. Mulierem enim homicidam nec judicio ſiſti, niſi per tutorem, nec capite plecti ſinunt, aut exilio pelli (quod in certis caſibus viris imperant) ſed bona ejus carpunt, quæ ſi non ſufficiunt ad pœnam, defectum ex ſuo ſuppleat tutor, qvod jam modo dictum, luatq; pœnam alieni criminis, vel potius propriẹ negligentiẹ, qvi, quam debuit educationis vel inſpectionis curam, non adhibuit. Longè aliter *Gothi Hiſpanienſes*, qvi non tantum ad agendum fẹminas admiſerunt, ſed nec viros pro ipſis niſi plenipotentiâ ab iis inſtructos. Pręterea, cum multô pluris, ut modò dictum, ẹſtimentur cẹdes, aut cultello, aut venturô principe factæ, fæminæ in utroq; caſu excuſantur, perinde etiam in furtis fæminis connivetur, & in quantitate mulctæ, & in proceſſu, ne retrahantur in judicium.

Capi-

Capitale ſupplicium, ut mares, non ſubeunt, ſed ſi propinqvi tribus marcis redimere nolint, perpetuam ſervitutem. Furto tamen ſæpius commiſſo, ad extremum lapidari ſinunt, non jubent. Contra, jura *Sveonum* ubicunq;, & in quocunq; caſu viros, etiam fæminas morte puniunt. Sed nec rotæ ſupplicio, aut ſuſpendio, ut parricidas vel fures, nec etiam vivi comburio, qvod in quibusdam caſibus de jure noviſſimo ſtatutum eſt; verum defoſſione, & injecta lapidum congerie, tanquam ſi pudori & reverentiæ ſexus melius conſulatur, ſi cum flagitio è conſpectu hominum remotæ contegantur. **Ey må Kona ſtegla eller hängia a green. Madrin a Stegel och Koni undi griut/** i.e. *fæminam rotæ imponi, aut ad ramum arboris ſuſpendi, jus non eſt. Mas rotæ imponi, fæmina ſub arena defodi debet.* Qvomodo & ab *Ingemari primi, Sveciæ* Regis conjuge ſupplicium ſumptum eſt, quæ & vetus fuit *Burgundionum* Lex, utraq; tamen jura, *Sveonum* & *Gothorum*, vitam fæminarum ponunt in poteſtate & arbitrio actorum, ſecus quam hodiè. *Jura Gothica* fæminarum imbecillitati conſuluiſſe, *Sveonica* malitiæ non faviſſe, recentia verò conditionem earum pejorem feciſſe videntur. Qvæ antem

Pœnæ fæminæ homicidæ.

Impuberũ, Furiosorum

tem fæminarum, ea & impuberum ratio habita fuit, sed non furiosorum. Homicidium enim à furioso commissum pro voluntario habetur, quoad pœnam & ejus executionem ab agnatis & cognatis impetrandam, si morbum non publicaverint, ut ab eo caveri posset, alioquin si publicaverint, homicidium casuale æstimatur. Iniqvè vero, jus *Norvegicum* persecutionem pœnæ è bonis furiosi permittit, illo etiam post recuperatam sanitatem in exilium pulso, quasi tunc primum in dolo esse, & ante factis consentire necesse haberet. Haud majore æquitate nititur jus *WestGothicum*, in quo homicidia merè casualia puniuntur parum infra voluntaria: nec mirum, si eorum aliquod periculum esse voluerunt, cum mors violenta alicujus, extra omnem meam culpam & scientiam contingens, non tamen extra pœnam esset, ut, si quis me nesciente, quocunq; meo telo, vel instrumento in perniciem suam abutatur, vel ex ædibus meis cadat, vel incidat in puteum meum, quantumvis tectum & munitum, vel in cataractam, & sub molendino meo confringatur, ipse aliqua mulcta plectar, ut in parte infelicitatis meæ numeretur, habuisse, vel ædificâsse aliquod quo homo periret.

Pœnæ homicidii casualis.

Ratione

2,2,4, De homicidiis.

Ratione personarum, in quas homicidium commissum, etiam magna differentia fuit, nec idem hominis pretium. Dictum est suprâ de peregrinis, nec ratione caret quoad pœnam pecuniariam, quæ à familia familiæ nec dari, nec exigi potuit, in reliquis jura nostra vetusta conditionem peregrini exæquant, solum *WestGothicum* in cæde discrimen inter nationes ponit (ut lex S*alica* inter *Romanum* & *Francum*) *Svecum*, *Gothum* & S*molandum* æqualis pretii facit, nisi quod satisfactio illa à familia, (åtte och oranboth) S*veco* & S*molando* ut peregrinis denegaretur. Pro cæde *Dani*, & *Norvegi*, mulcta & pœna pecuniaria triente minor erat, quam pro reliquis: pro *Germano* & *Anglo*, quadrante; hos solos, ut commercantes, novisse videtur ut vicinos. Viri tamen sacris initiati, etiamsi exteri (quales plerique fuerunt sub initio Christianæ religionis,) favore cultus divini, pari cum incolis jure fruebantur. In vulneratione verò, & ejus pœna, nullum discrimen faciunt inter *Gothum*, S*vecum*, *Danum* & *Norvegum*: inter S*vecum* faciunt & *Germanum*, quidquid enim in hos commissum fuit, minore pœna vindicabatur, ac si libertum vulnerâssent, sive quod ab iis remotiores minus

Homicidia in peregrinos.

nus

nus timerent, vel ſperarent, ſive quod idem apud illos paſſi, hinc extat hoc proditũ: **Tylickan lagh ſom vhtländſker man giör oß/tylickan williom wir them giöra**/id eſt, *qvam legem exteri nobis poſuere, eandem illis ponamus.*

Homicida in libertos & famulos.

Sed & inter incolas etiam diſcrimen fuit; in minore enim pretio cædes liberti, qui ex ſervitute, ære & pecunia redemptus erat, item ejus, qui inſtabilis, & vagabundus inter viros ſacros & propinquos oberraret, **Häradzpiäcker** vulgò dictus, Ordinaria quidem cædis pecuniaria pœna expiari debuit, ſed nec exilio, nec direptioni bonorum obnoxia. De ſervorum cæde ſupra dictum eſt, & eorum æſtimio, ex eorum uſu, officio & utilitate.

In vagabundos, Lurcones & Scurras.

Horum omnium aliquod tamen pretium; Lurconum & Scurrarum exiguum valde, Mimorum & Citharædorum penè nullum. Interficiens enim Lurconem diſcurrentem, tribus tantum marcis punitur, Mimum vero, & Citharædum, juvencâ, ſed hac conditione, ſi hæres interfecti retinere illam queat, quod niſi robuſtior, difficilimum ipſi fore putabant. Juvencam enim triennem, & robuſtam, in colle edito ſtatui jubent, hinc dari actori novas chirotecas, & novos calceos, utroſq; bene

2,2,4, De homicidiis.

bene inunctos, & lubricos, quibus bos tenenda erat, tum demum cessura ei in satisfactionem pro cæde, vel potius præmium roboris, si, tribus flagelli ictibus impulsa, manibus ejus, quæ caudam constringerent, non elaberetur: Quomodo & *Saxones* olim Verigieldum ludionis constituebant umbram viri; pugili, splendorem contra solem clypei duellaris, qua in re tam hi, quam illi, magis personarum, quam causarũ merita spectâsse videntur, tanquam non homines, sed hominum fuci extincti essent, quorum scilicet vita otio aut inertia torperet, aut ejusmodi artibus occuparetur, quæ & animi & corporis vires emollirent & enervarent.

Sed hi fuerunt homines infra ordinariam homicidii pœnam depretiati, qui seqvuntur, supra sunt, ut quibus major vel reverentia, vel amor, vel fides, vel misericordia debetur, ut sunt Domini, parentes, cõjuges, liberi, fæminæ, impuberes, infantes (**Gretingar** jus vocat) nondum septennes; **Krokokarl**/qui baculis innititur, senes à morbo vel ætate invalidi, judices, executores. Pretium etiam pro quocunq; augetur, si vel locis, vel temporibus privilegiatis occidatur, aut etiam ex insidiis, aut

Parricidia vel homicidia in Dominos.

Imbellem ætatem vel sexum.

cultello vel arcu &c. Exempli gr. ſi facta cædes eſt in locis ſolitariis, in ædibus interfecti propriis, in foro die mercatus, ſeptem ante adventum, vel totidem poſt abitum Regis è provincia diebus, in expeditione publica, in ſponſum ſponſamve, pronubũ aut pronubam, & pararios ad ſeptem usq; à die nuptiali, in fæminam, in impuberem, ſenem aut invalidum, in executorem ſententiæ, ita ſi facta cultello aut arcu, duplicatur. Si in templo, in cœmeterio, in judicio, in latrina, in officina cujusq; propria, lecto aut cœnaculo, ſi in parentes, liberos, fratres, ſorores, infantes; triplicatur, de quibus caſibus etiam capite ſuperiore. Sola cædes conjugis capitalis fuit, & Regis ſui ſive Domini, cum confiſcatione bonorum: incendiariorum etiam ἔπ' αὐτοφώρῳ deprehenſorum; reliqua, ut dictum eſt, quantacunq; crimina pecunia expiari poterant; atq; hoc de jure *Sveonum*, cujus loco poſtea tamen leges *Bergeri Jarli* prævaluerunt, *Gothis* datæ, quæ in atrocioribus, qvalia ſunt pleraq; modò memorata, aut vitam adimunt, aut bona, pulsô in exilium reô.

Homicidium à pluribus in unum commiſſũ.

Homicidium in unum à pluribus commiſſum, quamvis omnes ad pœnitentiam publicam, non ultra

ultra tres tamen obligat ad pœnam cædis ordinariam, quorum unus consultoris nomine, alter detentoris, tertius occisoris, singuli ut authores cædis puniuntur, sed diversa tamen poena. Si pars corporis, Ex. Gr. pes, manus, vel alia abscissa, humetur, ipso corpore paulo post ex eodem vulnere moriente, peculiari mulcta cædes corporis, peculiari cædes membri vindicata fuit: An credam singulari ritu & ceremonia partes corporis fuisse sepultas, & ut quis funus suum vivus prosequeretur exequiis? Quasi enim ut sepulti, ita & duo interfecti essent, in pœna distingvuntur: Ea reverentia sangvinis, is membrorum fuit respectus, quo magis mirandum, quod alibi sangvinem fortuito casu profluentem cœmeteria & templum profanare existimaverint, nisi cum cespite & pulvere ejiceretur, quod aliquis fortè culices colare dixerit, & deglutire camelos.

Pœnam homicidii etiam gravissimam, & qua nulla toto jure major, aliquando jus antiqvum imponit, etiam ubi nullum corpus delicti extat, aut occisus reperitur, saltem ob culpam, vel potius opem non præstitam, quæ tamen negligentia, quantumvis supina, in criminalibus dolo non est

æquiparanda. Occidere enim putarunt qui ægrotum non curarent, cum qvi curaret nemo præterea adesset. Fortè enim aliquando factum in expeditione nautica, ut socii navales unum ex suis, morbo decumbentem, relinquerent in portu, vocantibus ventis; sive tædio ulterioris curæ, sive quod jam mortuum crediderint (utrumq; lege expressum) pro mortuo sepeliverint, atq; alios deinde in portum subvectos, exaudivisse clamorem sepulti, & suppetias tulisse, inde is redivivus, quæ repula adversus desertores instituta, homicidii accusavit, & causam legi dedit, ut in ejusmodi desertores poena cædis ordinaria quadruplicaretur, & constitutio simul facta, quousq; in ejusmodi casu exspectandum esset, ut quis impunè pro mortuo sepeliri posset. Ex casu insolito simplicitas majorum non tam iis quæ sæpe, quam quæ raro, & quasi cum miraculo occurrerent, lege lata remedium quæsivit. Pœna hęc cespititia dicta fuit, à cespite, **Torfwegiäld** / quod ob cespitem, quo hominem vivum pręproperè contexissent, pręstaretur.

Torfwegiäld.

CAP.

22,5, De furtis.

CAPUT V.

De

Furtis.

ARGUMENTUM.

Furta odiosa. Furta olim rara. Etiam hodie alibi. Freqventia & acerbitas suppliciorum ad qvid. Senecæ *sententia laudata. Furta supra alia crimina punita. In furtis, & in processu & circa merita causæ peccatum. Furta fæminarum, Impuberum. Apprehensores furum. In furtis nulla transactio concessa. Jura* Sveonum *mitiora. Abigei. Fures segetum. Sacrilegi. Furta manifesta, & non manifesta. Furta inqvirere in alterius ædibus concessum sub conditione. Furum tres species, qvi consulit, qvi contrectat, qvi receptat. Rerum inventarum jus & ratio. In naufragorum bonis, jura æqva & iniqva.*

NUllum majoribus nostris crimen fuit furto odiosius, aut gravius: nullum olim quoq; rarius, sive ab ineunte ætate ita institutis, ut alienum non appeterent, sive nihil esset quod in diem viventes magnopere invitaret: Crediderim tamen priorem rationem potiorem. In *borealibus* Regni provinciis à cultu & commerciis peregrinorum remotis, rara admodum

Furta rara.

etiam hodie in borealibus Regni provinciis.

dum furta. Piceatas nec habent,nec timent ma. nꝰ,adeo ut in quibusdam parœciis,ubi æſtivo tempore cum totis familiis ad fœniceſia per integrum ferè menſem in ſylvis & ſaltibus à villis ſuis divertunt,vix januas ſuas claudant, raro ſeras foribus apponant,&,quantum ad ſuos populares, ſemper ſecuri. O ſecula *Saturni*! Sed quibus jam dudum invidit *Mercurius*, ſtimulantibus ad cupidinem habendi & ſtudium augendi vicinis,etiam neceſſitate temporum ingenii induſtriam acuente, quæ in bona malave fertur, quocunq; ducunt contagia lucri.

Leges ergo in fures antiquitus non videntur habuiſſe, cum aut non eſſent qui furarentur, aut quælibet provincia ſuo ſibi arbitrio caſtigandos ſumeret,unde hodie in ſupra memoratis provinciis nec patibula nec ulla indicia tanti criminis publicitus extant. *Senecæ* diſcurſus ad *Neronem*, qvamvis oratorio more ad perſuadendum compoſitus, multum etiam ex vero habere videtur, *videbis*, inquit, *ea ſæpè committi qvæ ſæpe vindicantur. Pater tuus*(Neronis)*plures intra qvinqvennium culeo inſuit qvam omnibus ſeculis inſutos accepimus, multo minus audebant liberi ultimum nefas admittere, qvam diu ſine le-*

Senecæ ſententia.

4215, De furtis.

ge crimen fuit. Parricidæ cum lege cœperunt, & illis facinus pœna monstravit, pessimo loco pietas fuit postqvam sæpius culeos vidimus, qvam cruces. In qva civitate rarò homines puniuntur, in ea consensus fit innocentiæ & indulgetur veluti publico bono, putet se innocentem esse civitas, erit. Sanè si experientiam consulere velimus, atrocitate pœnæ raro freqventia delicti sublata fuit aut emendata, quamvis vulgò statuatur crescentibus delictis exasperandas esse pœnas. Majores nostri nescio annon hac in parte aliquantulum aberraverint, fine suo frustrati. Cum enim primitus furta legibus coërcere cœperunt, plus nimio, fatendum est, severi fuerunt, tam mites in aliis omnibus, etiam atrocissimis, criminibus. Qvid enim gravius quam concubitus cum parentibus, liberis, sororibus? quam parricidium in eosdem? His tamen vitam indulgent, contenti pecunia & pœnitentia. In fures vero ubi deprehensi sunt, sententia hac ferali formula concepta fuit, **Han skal dömma til hugz och til hängia / til dräp och til döda / til torfz och til Tiäru vgildan firi arwa / och effter målandi swa firi Kyrckia sum firi Konunge** / i.e. *In furti reum securi, furca, defossione, vivicomburio animadverti posse, nec eo nomine vel hæredibus vel Ecclesiæ,*

Furta odiosa.

Lex pristina in fures.

vel

vel Regi ullam satisfactionem deberi, & qvantitas tamen quam exigua ad suspendium? dimidia scilicet marca aut ejus pretium, quantilla ad mortem hominis recula? quæ pœna etiam mansit post revisionem juris à Rege *Christophoro* factam, & alibi etiam hodie rigorosè servatur. Fæminæ vero defossæ sunt, si res furtiva suspendio digna. Si vero minoris esset pretii, puta triente vel quadrante infra marcæ dimidium; cædebatur virgis, utrâque aure amputata. Si nec tanti quidem, sed duplo minor, cædebatur virgis, alterâ aure amputata, si nec tanti quidem, cædebatur tamen virgis palo affixa: ducebantur etiam fures, revinctis in tergum manibus, tanquam indignæ, quibus cum res alienas contrectâssent, quas aut ostenderent aut quibus amplius uterentur, cum tamen adulteris, homicidiis & aliis facinorosis leges caveant, ne ad eum modum constringantur, sed tantum manicis aut clausa domo custodiantur, Ad hæc præmia furum apprehensoribus lege decreta, vel omnia quæcunq; apud illos inveniuntur, dum capiuntur, vel (ut de jure *Sveonum* vetusto) furti concepti pars qvinta. Non sic in reliquis delictis ubi persecutio tantum actoribus aut præfecto Regio con-

Fæminarum furta.

Furum & furti aggravatio.

concessa, aliis præterea nec pœna obligatis, nec præmio invitatis. Furem etiam diurnum, si aliter capi non posset, occidere leges permittunt. Lex duodecim tabularum tantum nocturnum, atq; tum demum, si se telo defenderit. Quid? cum impuberibus etiam & quos alias vel ratione defectus vel ætatis excusare solent, in furtis majores nostri non pepercerint, etsi non pari prorsus cum reliquis pœna afficerent. Deniq; super furtis transigere non permiserunt, quod tamen de jure civili *Romano*, & *Danico* concessum fuit, in omnibus scilicet ad edictum prætoris pertinentibus, quæ non ad publicam læsionem, sed rem familiarem respiciebant. De jure *Gothico* & *Scanico* sub pœna gravissima & quidem infamante, furem impunitum vetuerunt dimitti, siquidem ab actore quem causa proxime tangebat, accusaretur. Si vero præfectus Regius vel inquisitor communitatis dimisissent, pro reo respondere & causam ejus ac culpæ pœnam subire debebant, quod & lege *Salicâ* factum, quæ latroni similem habuit, qui furtum celare vellet, & occultè sine judice compositionem ejus admittere. Imo de jure *Wesmannico* furti damnum passus, insuper etiam gravatur ad eum in-

veſtigandum, adeo ut niſi intra annũ & tres juridicas invenerit, cum duodecim ſacramentalibus jurare teneatur ſe operam dediſſe nec invenire potuiſſe. Super hæc omnia odio hujus criminis & quadam moræ impatientia, feſtinatum eſt in cauſæ cognitione, feſtinatum in judicio, feſtinatum in ſupplicio. Furibus enim nulla excuſatio vel dilatio fuit, etiam crimine non manifeſto, nec cauſam furis ultra primam juridicam judici proferre conceſſum. Quid? quod aliquo jure etiam ante ordinarium judicii diem, indicto per inquiſitorem Regium vel communitatis conventu producere furem liceret, teſtibus convincere & ſuſpendere, cum tamen proximâ poſt juridica, executione jam facta, tum demum cum duodenario ſacramentalium numero jurandum eſſet, ſuſpenſum illum verum fuiſſe furem, cujus rei ratio ea fuit quam ſupra diximus, quod canonicæ probationes quæ in omni controverſia deſiderabantur, non niſi ordinario judicii die & loco præſtarentur, unde apparet eas ad extremum in quibusdam cauſis moris cauſa uſurpatas. hic certè ridiculæ & ſupervacuæ, quippe de capite quod amplius reſtitui non potuit. De jure *Danico* ἐπ αὐτοφόρῳ furem deprehenſum, etiam ſine

2,2,5, De furtis.

ſine prævia judicis ſententia ſuſpendere & necare licuit.

Ex quibus omnibus ſatis apparet in quanta deteſtatione & odio hominum furta fuerint, & quam vehementer magis, quam cautè aut prudenter, cauſas furum tractaverint, odio criminis etiam hominibus irati. Ab initio tamen *Sveones* non in tantum excanduiſſe videntur, mitiores certè fuerunt quam *Gothi*, præcipuè tamen *Boreales*, apud quos tamen, ut modo dictum, furta rariora. *Helſingi* furem ſuſpendio non puniverunt, ubi re furtivâ reſtituta mulctæ ſuffecit, quæ non erat plus quam ſex marcarum, quas à propinquis petere, & ſe redimere poterat à capitis ſupplicio. Sed nec jus *Uplandicum Bergeri* furem prima vice ſuſpendio punit, ſed mulctat. Punit autem ſecundâ, etiam ob quantulamcunq; rem. Fuit & olim (in quantum ſcriptori *Norvegico* de rebus noſtris credendum eſt) ſecundũ antiqvum jus *Upſalenſe*, in pœnam furti, condemnatio in triplum juri divino congrua, quæ et hodie in praxi, haud ita pridem à judiciis Regiis recepta eſt, & jam aliquot annorũ cõſuetudine roborata, adeo ut ſi fur pœnæ pecuniariæ impar ſit, niſi furtum valdè magnum ſit aut ſæpius iteratum,

Differentia juris *Sveonici* â *Gothico*.

tum, virgis aut fustibus cædatur. *Jus Gothicum* cum in viros tantopere sæviat, fæminarum tamen vitæ in furtis parcit, mulctato tutore, in pœnam incuriæ vel negligentiæ, in cujus partem tamen fæmina etiam veniebat, aut si nihil in bonis haberet, in servitutem, ut supra dictum.

Furtorum distinctio & pro eo pœnæ variatio.

Hæc de furti pœna in genere, quæ ut in aliis criminibus, quæ gradus suos habent, variavit. Furta ratione objecti in duo præcipuè genera distinxerunt: alia enim esse rerum quæ in ædibus, arcis, thecis & repositoriis asservari solent & ut plurimũ intra claves custodiri, de quorum pœna præcipuè jura loqvuntur: alia rerum mobilium quidem (nam immobiles furtis obnoxiæ non sunt) sed quæ ita custodiri non possunt, ut sunt armenta & pecora in pastu, fænum & segetes demessæ in agris.

Abigei Gärtiufwar/ Agnebakar.

Illorum fures *abigei*, nostra voce Gärtiufwar appellantur, horum verò Agnebakar / utrorumq; una & eadem pœna, suspendium scilicet pro pretio rei furtivæ, & publicatio bonorum mobilium. Sanctiora enim, & tanquam custodelæ, seu, ut jus nostrum loquitur, seræ divinæ existimârunt erepta, quorum assiduæ intentioni non sufficit diligentia humana, sic & olim in terminorum

trans-

2,2,5, De furtis.

translatores pœnam ſtatuerunt capitalem, ſpeciem ſcilicet furti eſſe, qvâ confuſa limitum certitudine, interverſio & poſſeſſio rei alienæ intenderetur; ſpeciem item furti eſſe, ubi partu ſuppoſito hæreditas alterius interciperetur, quamobrem ſub R. *Erico Pomerano* capitalis ſententia lata eſt in matronam quandam, quæ hæredes mariti ſui *Axilli Broderi* ſic fallere conata fuit.

Furta alia aliis graviora non tantum ratione quantitatis & frequentiæ actuum, ſed etiam, ut homicidia & violentia, reſpectu loci & temporis. De *jure civili Romano* committitur ſacrilegium, contrectatione rei ſacræ, quocunq; in loco, ſacro vel profano. De noſtro ſacrilegii rationem habuit, ſi res ſive ſacra ſive profana in loco ſacro fraudulenter contrectaretur, unde diu in uſu fuit ut res pupillares templorum cuſtodiæ committerenter, quò privilegio loci munitiores eſſent adverſus fures. Tempus etiam furtum aggravabat, ut ſi quis horâ, qua ſacra peragerentur, furaretur, rigidius plecteretur, quod tamen poſtea obſervatum non eſt. Furtum, ut *Romani*, noſtri etiam diſtinxerunt in *manifeſtum* & *non manifeſtum*.

Variatio pro ratione loci.

Pro ratione temporis.

Manifeſtum dixerunt quod aut ἔπ ἀυτοφόρῳ ut loqui-

Furta manifeſta.

loquimur, deprehensum fuit, aut in ædibus vel arcis furis inquisitum & inventum. Licebat enim ex indiciis & præsumptionibus domum suspectam ingredi & inquirere ubicunq; placuisset, sed sub sponsione & vadimonio domino ædium, cujus ea ratio fuisse videtur, ne quis prorsus impunè furti insimularetur, aut ad minimum aliquid haberet pro molestia quam sustinere debuit in reseratione & visitatione. In ædibus nonnisi obseratis inquisitio petita & admissa, atq; ita ut non nisi discinctis & ferè nudis ingredi liceret, animadverso etiam ne qua alibi vel transenna vel lacuna esset, qua rei furtivæ potuisset immissio fieri. Furta sic inventa, quomodo apud *Romanos*, quæ per lancem liciumq; essent concepta, ac si manifesta forent, pro pretio rei furtivæ, vel suspendio vel mutilatione aurium vel excoriatione puniverunt.

Inqvisitio furti in alienis ædibus concessa.

Furti non manifesti.

Furti autem non manifesti, id est, ejus quod negaretur quidem, sed tamen judicio Nembdæ factum diceretur, pœna capitalis non fuit, sed præter restitutionem pecuniaria tantum, quantum in homicidio simplici exigebant.

Furum species.

Furum tres species jura *Gothica* faciunt, **Een**

radir

2,2,5, De furtis.

radir / annan stial / tridie taker wider/i.e. *esse unum qvi consilium daret, alterum qvi contrectaret, tertium qvi receptaret & occuleret*, pari pœnæ singulos obnoxios, una autem omnibus purgandi & defendendi ratio, vel laudando authorem à qvo accepissent, vel innocentiam testimonio ferri igniti aut sacramentalium demonstrando. Qvia autem re furtiva agnita fures se ut plurimum excusare solent, vel emptione, vel mutatione, vel donatione ab aliis accepisse, ideo vel hanc etiam ob causam ne furibus in prætextu aliquid subterfugii esset, majores nostri omnem contractum emptionis venditionis rei mobilis per testes & mediatores fieri volebant, de quo supra. Si itaq; fur ad authorem à quo accepisset, provocaret, dabatur ei pro inquisitione terminus arctior vel laxior, prout ferebatur tradita extra territorium, provinciam vel regnum fuisse, interea de exhibendo cautionem præstare debuit reus vel per fidejussores vel per sequestrationem rei litigiosæ, vel deniq; alio æquivalente pignore, tot enim modis cautio præstanda fuit, nec aliqua harum denegari potuit, nisi ut se reus crimini obnoxium redderet, quod præcipuè obtinuit in rebus quæ dice-

dicebantur emptæ vel inventæ vel mutatæ, oppignoratę, commodatę, conductę: nam si res domi aut ex proprio nata vel parta prętenderetur, per testes & sacramentales hoc probandũ erat, quantumvis nihil actor probâsset, atq; hoc semper valuit, quotiescunq; alicui furtum imputaretur, de qua re quid sentiendum, supra de probatione Canonica dictum.

Res inventæ.

Ad furta proxime inventa seqvuntur, **Tiufwer hitter gierna / som Kläckare Kalcken** / id est, *Fur facile invenit, ut æditnus calicem*, jocatur jus antiqvum. Hoc enim titulo fures deprehensi se frequentissimè excusant & defendunt. Itaq; ut omnis ansa pręscinderetur furibus in hoc effugio, ut à re inventa ratio furti abesset, inventa publicari leges pręcipiunt, primum coram comitibus & viatoribus obviis, deinde in proxima villa vel pago, postremo coram Ecclesia vel judicio. Ab hac publicatione si nemo intra annum professus rem perditam, vindicatum iret, triens rei inventę, inventori, bes Regi cessit; pretii ęstimatione arbitrio bonorum virorum commissa. Etiam multum interfuit, ubi, à quo, & quę res inventa esset, res enim pro perdita haberi non debet, quæ vel in sacro

cro

2,2,5, De furtis.

cro loco, vel ædibus, aut villa alicujus reperiretur. Ideo jus indicat inventa tantum in via vel extra viam, in locis ſcilicet ubi nullo interdicto ſpeciali commeatus liber eſt. Sed & ſervus aliquid inveniens domino acquirit: Mercenarius vero non aliter ſibi ex invento lucrari potuit, quam ſi interea operas hero debitas non neglexiſſet, alioquin in jus mercenarii herus ſuccedebat. Inter res inventas vero ex pecore & armento nihil euretri debebatur, animum enim revertendi non amiſiſſe, etiamſi aliquando aberraſſet, ſive quod facile inventu eſſet, difficilimè vero occultaretur, conceſſerunt tamen poſt publicationem modicè uti, modo ne extra territorium agerent, E. G. eqvo aut bove ad labores araturam vel vecturã &c. pro cura ſcilicet aut pabulo. Qvod autem jus erat rei in terra inventæ, idem & eorum quæ ex naufragorum bonis littoribus impulſa fuerunt, bes domino, triens inventori ceſſit. Ex iis vero quæ ex fundo maris aut fluminis reperta & extracta eſſent, ſemiſſis utriq;. Exacto vero anno poſt publicatam inventionem, niſi interea dominus veniſſet, in locum ejus fiſcus ſuccedebat. Si tamen de domino conſtaret, nulla adverſus eum annalis præſcri- Naufragorum bona.

ptio cucurrit, ut res pro derelicta aut perdita haberi posset. Iniquissimæ ergo & omni juri divino & naturali adversæ fuerunt illæ anteriorum seculorum leges, quas etiamnum pleriq; maris *Balthici* accolæ prætendunt, ut in naufragorum miseria & calamitate tanquam vultures ad prædam currant, erepto legitimis eorum dominis jure vindicandi, sive, ut clarius dicam, quod ipsorum proprium est, & absq; ulla sua culpa amiserunt, recuperandi.

Leges iniqvæ in naufragorum bona.

Caput VI.

De

Damno dato.

ARGUMENTUM.

Damnum unde datur. In qvem. Incendia. Damnum à pecore in pecus.

Damnum datum ab homine.

Damnum vel ab homine datur, vel à jumento, pecude aut cane. Ab homine autem vel consulto vel fortuito, & qvidem in corpus vel bona nostra. In bona damnum datur incendio, quod consulto excitatum in eum finem, ut hominem juxta ac ædes cremet,

met, vivicomburio vindicatur &c. ut supra. Culpa vero lata factum, præter pœnam incuriæ, quæ pecuniaria erat, etiam authorem obligabat ad pretium rei incensæ restituendum, in casu vero fortuito ad pretii tantum qvadrantem. Datur & consulto damnum in armenta & pecora, quorum non tantum æstimationem jura vetusta præcipiunt, sed & pœnam aliquam malevolentiæ, ubi constat de proposito, Ufwindzboth dicebatur: Casu enim factum, solā æstimationem (ut æqvum) recipiebat. Sed & de jure nostro imperitia casui annumeratur, contra quam jure *Romano*, si enim moritur jumentum ex eo quod medicus malè secuit aut properum medicamentum dedit, præstari ab eo pretium jubet. De nostro vero jure imputet sibi, qvi imperitum elegit. Pauci eo tempore artis professores, qualecunq; ergo juvandi conamen favore prosequebantur ne ipsis damno esset, cum jurare possent, sibi propositum non fuisse perdendi sed medendi. Si autem quadrupes pauperiem fecerit, alterum jumentum necando, jura antiqua utriq; domino, utrumq; dari precipiunt & vivum & mortuum, ut æstimatione utriusq; facta & pretium utriusq; domini exæquetur, quod & ju- Damnum datum seu pauperies à quadrupede.

 ri

ri divino *Mosaico* congruum; abit ab eo nonnihil jus novellum, non escale enim necatum, ut apud nos eqvus, asinus, dimidio tantum valoris sui necatoris dominũ mulctat: Escatile vero, ut bos, caper, ovis, porcus &c. quadrante. Si autem jumentum hominem peremerit, jumenti dominus olim & mulctam & noxam dedere tenebatur, nisi altera actor fuisset contentus, & quamvis mulcta non esset gravis, familiæ tamen à familia danda fuit, non secus ac si cædes ab homine facta fuisset, pro tollendis simultatum & odiorum causis De jure vero novello non noxa deditur, nec pro damno pretium, sed tantum mulcta pecuniaria aliquot marcarum, de consuetudine tamen obtinuit, ut noxa tantum neci dedatur.

CAPUT VII.

De

Injuriis.

ARGUMENTUM.

INjuriæ verbalis pœna. In pugna: In retorsione: In pecunia: In palinodia sive recantatione. Ritus recantandi ignominiosissimus. Recantatio absq; ignominia. Inju-

2,2,7, De injuriis.

INjuriis verbalibus in gente militari, nulla alia antiqvitus pœna quam pugna, si modo conditione, vita, ætate, sexu pares essent litigantes, nec ulla injuria major aut probrosius verbum dici poterat viro, quam si vir diceretur non masculo pectore. Huic, ut ante dictum, pro honore & defensione famæ suæ pugnandum fuit, permansit mos iste etiam hodiè apud gentes qvasdam, qvæ non invitæ originem ejus majoribus nostris imputant. *Moribus militum & observantia nobilium* (inqvit JCtus qvidem *Hispan.*) *receptum est, ut non censeatur honori suo satisfacere, qvi verbali injuriæ verbis saltem respondeat, non armis & facto tanqvam hoc in maxima causa, qvæ ad honorem dignitatemq; pertineat.* In jure nostro nulla alia retorsio olim permissa vel laudata. Posterioribus seculis pro opprobrio pecunia admissa fuit, aut si illa non sufficeret, *palinodia* seu ut vulgo, *recantatio*, id est, confessio mendacii, nec simplex ea qvidem aut privata, sed publica facta coram judicio cum *autoplagia* & ignominiosa aversi recessus è judicii loco ceremonia conjuncta, incusso scilicet pudore, qvem qvia non habuit cum debuisset, debuisse habere cum nollet, severitate enim manus os suum percu-

Injuriæ verbalis pœna, pugna.

Recantatio.

tientis castigata lingvæ temeritate reus à seipso pœnam exigebat, non tam dolore intolerandam, quam insolentia pudendam, quo nihil in vita acerbius magnæ & generosæ mentes sibi accidere posse existimant. Erat tamen, ut & hodie, pœnitentiæ locus. Verbum enim probrosum subitaneo calore & animi motu dictum, absq; ulla ignominia revocare permissum, & sermonem emendare sine pœnæ metu, nisi aut in loco publico aut animo calumniandi factum constaret.

Injuriæ realis pœna.

Injuriis realibus quæ in facto vel opere consistunt, quo quis læditur & dehonestatur, minor pœna, infamia nulla, adeoquè corpori famæ integritas prevaluit, majore vindicta munienda & pari cum vita ipsa. Idem enim de jure majorum vitæ & famæ pretium: extra vitam tamen in pecunia, atq; nescio annon rectius, quam *Gothi Hispanienses*, qui calumniatorem convictum arbitrio actoris permiserunt, ut de eo pro lubitu statueret, in eo tamen laudandi, quod neminem ad deferendum admitterent, nisi sub scriptura aut specificatione trium testium quod vellet actionem persequi; sed de his obiter. Ut ad injurias reales redeam, extant de iis in jure communi & vetusto integri libri

2 4 7, De injuriis.

bri ſive tituli,quorum tamen ſumma ea eſt, ut pro injuriæ qualitate vel quantitate, major minorve pecunia detur quæ ſemper retenta fuit, etiamſi alioquin variaret in quantitate : Hoc tantum obſervato, prout de cædibus & homicidiis ſupra dictum, gravitatem & pondus accepiſſe à ſubjecto, objecto, loco, tempore, modo, inſtrumento,&c. adeo idem non erat idem, cum vel alius faceret,vel in alium,vel alio tempore aut loco, aut modo, aut inſtrumēto,quod & hodie obſervatur, quoties arbitraria pœna,à ſupremo ſcilicet judicio(nam inferiora legib9 aſtricta ſunt)infligitur. Deinde hoc etjam obſervatione dignũ,verbera vel vulnera ſpatio quatuordecim dierũ præſcripta fuiſſe, niſi interea ad ſatisfactionem ageretur & inſpectio peteretur. Poſtremo etiam hoc contra jus commune in uſu fuiſſe,ut ſive unus, ſive plures vulnera inflixiſſent, omnes quidem tenerentur, nonniſi de uno tamen vulnere,id eſt, numeratas fuiſſe perſonas non vulnera, & pro perſonarum non vulnerum numero mulctam fuiſſe irrogatam.

CAPUT ULTIMUM, De

Jure Sacrorum sive de iis qvæ constituta fuerunt super Ecclesiis & earum ministris.

ARGUMENTUM.

VIs & efficacia religionis. Religionum origo, fundamentum, & finis. Religionum diversitas. Religio extra Ecclesiam Dei. Philosophica *qvalis, & in qvibus. Secta ejus inter philosophos, In eane* Gothi *&* Sveones? *Religio* pagana *seu* vulgaris, *quam lata, qvalis & in qvibus consistebat. Pluralitas Deorum & eorum apud nos cultus. Antistites & ministri sacrorum. Religio Christiana primæva. Religio Christiana in sectas divisa. Ex qvibus religio ad nos venit, & qvalis. Præcepta & leges de cultu numinis. Leges circa externa, qvæ inserviunt religioni & cultui. Constitutio Ecclesiarum & templorum fundatio, ornatus, reditus & præfecti. Ordo Clericorum. Pastoris & Æditui constitutio, vocatio, salarium & officium in genere. Episcopi officium, reditus, dignitas. Officium & reditus pastoris in specie. Forum Ecclesiasticum. Causa fori Ecclesiastici & Episcopalis. Conclusio.*

COnstitutiones de sacris, qvamvis alterius loci, qvia tamen majores nostri in omni jure primas esse voluerunt, appendicis

2,2,8, De Sacris.

dicis loco addantur. Religiosos maximi semper fecerunt propter religionem,ut rem non animæ tantum salutarem, sed & quæ ad civilem felicitatem faciat. Esse enim fundamentum status qua convulsa convellatur & ipse; nec immeritò, ubi enim metus non est vindictæ divinæ in maleficiis, nec spes redhostimenti in benefactis, tollitur respectus Dei, tollitur discrimen inter sacra & profana, perit reverentia erga majores, fides erga omnes, jura gentium & vincula generis humani solvuntur. Religio, ut alia omnia apud nos,suas vices habuit, altera sublata,altera reformata, & vel cum legibus vel etiam ante leges cœpit,cum primum sensus de Deo esset. Raro enim legibus gubernantur,qvi religione & metu numinis non ducuntur, homines ne mali sint, metu & reverentia numinis svadendi sunt,legibus cogendi;quod à volentibus obtineri potest, ab invitis extorqveri non debet, hoc religio præstat sine qua non minus quam sine legibus, non domus ulla, non civitas aut hominum societas stare potest. *Nulla gens*, inqvit *Cicero*, *tam fera, tam immansveta & barbara est, qvæ non Deum etiamsi ignorat qvalem, tamen habendum & colendum sciat*; qvanqvam

Vis & efficacia religionis.

Religionum origo.

non desunt qui nostro seculo cum orbem terrarum circumnavigassent, alibi homines in insulis se invenisse dicant, apud qvos nulla prorsus notitia Dei aut cogitatio vel cura de numine animadverti potuit, sed iis aut ratio ut brutis animantibus defuit, aut ita in hominibus obbrutuit, ut quemadmodum hodie multi non ultra pastum & libidinem soliciti, nisi ab aliis de Deo admoneantur, supera, infera, præterita & instantia, pari oblivione & incuria transmittant, ratio tamen in admiranda naturæ admissa, facile Deum authorem hujus investigat, & in seipsam quoq; reflexa originem sui se illi debere agnoscit, quo fit, ut & in cultū Dei propendeat, & propter similitudinem naturæ homini ad consociationem se aggreget, quâ cum per sermonem homini datum sua invicem communicare & accipere possit, pro conservatione societatis humanæ facile intelligit, honestè vivendum, neminem lædendum, unicuiq; suum tribuendum esse, sive juxta universale naturæ præceptum, alteri non esse faciendum, quod sibi ipsi non velit fieri. Hoc principium & fundamentum est & religionis & legum. Sed leges illæ civiles à fonte derivatæ longius deducuntur & explicantur, & ad status & ingenium

Fundamentum & finis.

2.2.8, De sacris.

genium uniuscujusq; populi accomodantur. Religio uniusmodi ut debuit non fuit, quia nec una ubivis vera Dei notitia, cum, errore ingenii humani, non satis conveniret, quid numen aut quot numina, aut quis eorum cultus, vel deniq; in quo beatitudo aut fælicitas vitæ consisteret, quam cultu intenderent. Itaq; pro varietate hominum & regionum variæ semper religiones fuerunt extra Ecclesiam Dei, quas aut ab aliis acceperunt, aut sibi ipsis confinxerunt. Communiter tamen diversitas illa reduci potest ad *philosophicam* & *paganam* sive *vulgarem*. Placet enim philosophiam moralem etiam religionem vocare quod benè vivere doceat, & beatitudo ex eo quæratur, alibi hodie etiā eo nomine veniat, ubi non alia religio habetur, alibi etiam divisiones in religione pro sectis philosophicis olim habitæ fuerint.

Religionum diversitas.

Philosophica religio principiis naturæ & ratione nititur, *pagana* opinione. Illa religionis nomen meretur, hæc superstitionis. Philosophica religio lumine naturæ verum vidit & asseruit, etsi lumine gratiæ non omne verum invenit, nec in ultima Dei mysteria penetravit. Deos credidit sive potius Deum, plures non nisi ut in unius tamen

Religio *philosophica.*

familiam & potestatem eos redigerent. *Esse enim, ait Cicero, aliquam talem præstantem, æternamq; naturam, eamq; suspiciendam, admirandamq; hominum generi, pulcritudo mundi, ordoq; rerum cælestium cogit confiteri, ut cujus beneficio & cura, non tantum universum hoc naturæ opus, sed & singulæ in eo res, ad mensuram sibi datam, essent, starent, conservarentur. Castissimum autem atq; sanctissimum, plenissimumq; pietatis cultum esse, ut eum semper pura, integra, incorrupta & mente & voce veneremur.* hæc ille. Sensum ergo & fidem de numine hæc religio præsupponit, sed & cultum requirit, & venerationem pura, integra, incorrupta & mente & voce. Voce per gratias, laudes, preces; Mente, conformando eam ad divinam mentem. Cum enim cultum Dei optimum cultum animi nostri putarent, quem vel particulam divinæ auræ, vel radium ejus corporibus nostris immersum pleriq; crederent, tum demum excoli & perfici, cum quam proxime sapientia & beneficentia ad similitudinem Dei accederet, interritus periculis, intactus cupiditatibus, non prosperis rebus elatus, non adversis dejectus, sed inter adversa fælix, in mediis tempestatibus placidus, & sub uno vitæ tenore sibi semper constans, atq; in hoc esse beatam vitam & rationem summi

Cultus Philosophorum.

2/2/d/ De sacris.

ſummi boni, ultra quod aliud aut non quærebant, aut non ſperabant. Ignota per reſurrectionem corporum (quam omnes ut abſurdam abnuebant) poſt hanc vitam aliâ, animarum tamen immortalitatem pleriq; aſtruebant, quidam verè & conſtanter, plures cunctanter, & ſic ut alii eorum animas qui ſe è cæno & ſordibus voluptatum ſubduxiſſent, ad contemplationem naturæ & operum Dei reverti crederent in chaos illud divinæ & æthereæ eſſentiæ, unde deſumptæ eſſent, aliorum vero qui ſe affectibus feris aut corporeis voluptatibus in hac vita abdidiſſent, ire in porcos, canes, lupos, vulpes &c. *Epicurei* tamen, etiam ex hoc genere ſapientiam profeſſi, qvamvis in pleriſq; cum reliquis convenirent, acerrimè tamen contra earum immortalitatem pugnarunt, nihil enim immortale eſſe niſi æternum & immutabile, animas vero hominum & brutorum ex traduce cum corporibus incipere, creſcere, ſtare, deficere, & in potentiam materiæ, unde eductæ eſſent, recidere, cumq; præterea Deos, conſtituto ſemel naturæ horologio, ad cujus rotas omnia irent, & curſum ſuum tenerent, extra curam mundi & hominum otiari permitterent, nihil mirum ſi omnem cultum divinum ut fruſtraneum ſpreverint & irriſerint.

Sectæ ejus inter Philoſophos.

O vanas hominum mentes, o pectora cœca;
Qualibus in tenebris degitur &c,

Exclamat quidam, quo cum nimis quam multi ſi non conclament, conſentiunt tamen, quantumvis vel maxime religioſi videantur & credi velint. Ceterum ſanctior illa philoſophorum religio, paucarum gentum, aut verius paucorum in iis hominum, haut ſcio an *Gothis* noſtris dari debeat, ſiquidem *Gothi* & *Gethæ* iidem ſunt, ut plerisq; noſtratium placet, quod & *Zeutham* philoſophum Regem habuerint, & animorum immortalitatem credidiſſe exiſtimentur. Inde ruendi in ferrum mens prona viris, quod ignavum putaverint, redituræ parcere vitæ. De domeſticis noſtris & popularibus idem fortè cenſerim. Extant enim lapides in tumulis ſepultorum erecti, in quibus literatura Runica mentio fit, jam *Otthini*, jam *Freæ*, jam & *Thori*, quem cum propitium defuncto precantur, ſatis apparet, eſſe aliquid manes credidiſſe, nec finem letho animalibus factum, quo illud etiam facere videtur, quod non, ut reliqui barbari, cadavera mortuorum ſuorum promiſcuè projecerint, ſed in viridariis ſuis quos hortos familiæ nominabant, **Ettehagar**/ & paſſim circa villas etiam hodie conſpiciuntur, honeſtè cum cariſſimis ſibi rebus ſepe-

In eane *Gothi* & *Sveones*

242, De sacris.

ſiverint, præcipuè telis & armis, ſi viri militares fuerant, quaſi trophæa ſecum non de hoſte tantum ſed & de morte haberent, his iterum aliquando uſuri. Sed utcumq; ea res ſe habuerit, conſtat tamen paganam religionem apud majores noſtros præponderâſſe, quam vulgaré religioné diximus, ſive quod ubiq; recepta fuit, ſive vulgo præcipue placuit, quod ignarũ cæleſtis gloriæ & incurioſum beatitudinis alicuj9 à virtutibus & cultu animi, externa tantũ, & quæ ſunt corporis, quærit, valetudinem, opes, potentiã & honores, felicitatem foris & domi, in pace, in bello, in conjugio & rebus domeſticis quæ realia bona æſtimat, & Deum vel Deos beneficos, qui talia dare poſſent, iratos vero & metuendos qui abnuerent, ac proinde devotione & cultu in oculos incurrente proſequendos, ſive ut darent exorandi eſſent, ſive ut parcerent placandi: de hac ergo vel etiam in hac, quas leges habuimus, dici non poteſt, aliquas tamen fuiſſe dubitari non debet. Si *Wigeri Spa* capitula extarent, aliquid fortaſſis de iis tradi poſſet. Credibile enim non eſt, ut qui poſterioribus ſeculis ſemper religionis primas partes eſſe voluerunt, eas prioribus neglexiſſe. Nunc ergo quoquo modo aliunde tradita

Pagana Religio ſeu vulgaris.

Qualis & in quibus conſiſtebat.

tradita paucis in re profana commemorasse sufficiat. Religionem majores nostri in Ethnicismo à *Græcis* & *Romanis* aut certè communem cum illis habuerunt, nec refert quod ab *Otthino* ex *Scythia Asiatica* primum introducta censeatur, quis enim credat non antea fuisse? *Thorus* certè ante *Otthinum* fuit, sed & *Asiatica* illa religio communis fuit cum *Europæa*, quoad *Jovem* reliquamq; Deorum turbam ex ejus prosapia, ejusq; cultum per sangvinem & sacrificia, quamvis alibi atq; alibi sub *Beli*, *Hammonis*, *Isidis* & aliis nominibus laterent.

Pluralia Deorum.

Ac ut de Deorum numero primo dicam, in eo valde variarunt. Græcia, obstetricantibus poëtis, fœcunda Deorum genitrix, plures Deos habuit, & plures adhuc aucta Republica *Romani*, ut ad extremum nec hominibus tantum & virtutibus, sed & vitiis & morbis templa ponerent, qvæ res religionem cum ceremoniis suis ludibrio multorum & contemptui exposuit, et tempora illa in *atheismum* inclinavit. Qvanqvam enim non Philosophi tantum, sed et sapientiores Rerumpublicarum rectores nugas has viderent et riderent, passi tamen sunt prophanum vulgus errore labi, ut fabulas pro historiis, falsa pro veris crederent, sive quod vulgus

subti-

2 2 d, De ſor[illegible].

ſubtiliorum rerum non eſſet capax, cum ſub involucris ejusmodi fabularum myſteria & ſecretiora artium & ſcientiarum ſemina latere, nec niſi melioris notæ ingeniis pandere vellent, ſive etiam qvod qualemcunq; religionem ſufficere arbitrarentur ad continendos in officio homines. Quid enim efficacius multitudinem regit quam ſuperſtitio? quare non facilè permiſerunt religionem hanc violari. *Socrates* certè, quod ejus contemptor eſſet, cicutam bibere coactus eſt, *Ariſtoteles* & *Prothagoras* pœnæ damnati, & quicunq; πεογονίαμ illam pro figmento haberent aut etiam ſymbolizarent. Majores noſtri ex hac diſciplina, ſimpliciores tamen, tribus tantum Diis majorum gentium contenti fuerunt, *Thoro*, *Odeno* & *Frea*: hac fæmina, illis maribus, quorum quædam ſimulacra vel ſtatuæ etiam hodiè in templo *Upſalenſi* oſtentantur, rudes & impolitæ, nec ad eam ſanè templi magnificentiam, qvod olim aureum & catena aurea circumcinctum fertur.

Thorus primus & maximus Deorum erat, cui in univerſum imperium & rerum ſummam detulerunt. Hic *Jupiter* noſter erat fulmine potens, qvod cum in gigantes, qvibuscum bellum gereret, Et eorum apud nos cultus.

ſtricturus videretur, tympanorum & æris ſtrepitu, etiam miſſis in altum jaculis ſuppetiatum ibant, hoc uno qvo poterant modo, devotionem & ſtudium ſuum erga ſummum Deorum profeſſi. Per hunc etiam quidam ex vulgo hodiè ſuperſtitionis vetuſtæ, prava à majoribus aſſerendæ veritatis conſvetudine accepta jurant, **Thor Gudh**/ id eſt, per *Thorum* vel *Jovem* Deum, qvem etiam cum tonat, vehi, vel *Thorum* ſenecionem invehi, neſcio an credant, dicunt tamen **Thor Gubben åker.** Huic & primum anni menſem & qvintum hebdomadis diem conſecrarunt, quæ nomina etiam hodiè in uſu retinentur.

Thorus ſive *Thoro.*

Proximus à *Thoro Odenus* vel *Otthinus* erat, qvi ex *Aſia* veniens, (ideo etiam *As* dictus) magicis artibus & præſtigiis tanquam miraculis ſibi divinitatis opinionem conciliavit, & ex peregrino civis, ex cive Rex, ex Rege Deus factus, maximum toto *Septentrione* ſibi cultum vindicavit, felicitatem in bello adverſus hoſtes pollicitus, opes & divitias domi, ideo majorum noſtrorum & *Mars* erat & *Mercurius*, præponderabat tamen *Mercurius*, quò plures eſſent qui pecuniam quam bella mallent, adeo ut hodie quidam malè feriati non vereantur,

Otthinus.

pro

2,2,13, De sacris.

pro pecunia mutuo vel gratis accipienda numen illud compellare, qvorum mentes Diabolus sub larva istius numinis fascinat & eludit, ut cum maxime accepisse & habere videantur, nihil tamen habeant. Huic quartum hebdomadis diem consecrarunt, nomine etiam hodiè retento.

Tertiam Deorum *Friggam* sive *Fream seminalem Otthinus* peperit, cujus neptis fuisse perhibetur, Regina quondam formæ venustate conspicua, mater & Dea facta voluptatis, & fœcunditatis annonæ & frugum, nec minus liberorum ex felicitate conjugii, ideo & *Ceres* nostra fuit & *Venus*, unam enim divam diversis votis sufficere rati, nec præter necessitatem Deorum numerum esse multiplicandum. Atq; hi tres Dii ex magnis fuerunt: non desunt tamen qui *Thoronem* quendam cum *Thoro* confundant, ac à se diversos existimant Deos. *Friggam* qvoq; alii *Disam* dicunt, à qvo tertium hebdomadis diem dici volunt, quem tamen modo *Marti* dedim⁹, qvi nobis olim *As*, Germanis *Hesus* vel *Hisus*, unde Hises-dagh & contractè Hiisz-dagh/ vulgo usitatius *t* vel *d*, ut in aliis multis, præmisso, Thiisz-dag/vel Diisz-dag. hodie Germanis Dings-dag/vel ideo qvod plerũq; ordinari⁹ judiciis esset. *Frigga* sive *Frea*.

Friggam alii *Gïöam* vel *Gïöiam* à qua alter anni mensis *Februari⁹* nomẽ apud nos invenisse creditur, et nunc filiã, nunc uxorem *Otthini* fuisse perhibent, de qua re non est quod scrupulososè inquiramus. De *Saturno* dubium est, videntur enim & humanæ victimæ & dies ab eo dictus cultum ejus arguere, homines enim, præsertim pueri & juvenes, nonnisi *Saturno* immolabantur, ideo à poëtis pueros devorare fingitur, & dies ultimus hebdomadis quondam **Söördagh** dictus fuit, qvi hodie mutata littera **Löördagh** / alii **Lögerdagh** dici putant à lavacro, qvod postridie ad sacra ituri illo die potissimum se lavent & præparent. Hoc ut incertum in medio relinquo, & ad Deos minorum gentium, qvorum nomina saltem nostra sunt, venio. Hi fuerunt *Niordus* & *Freius*, nepotes *Otthini*, per quos etiam, ut supra dictum, jurare solebant. Refert *Johannes Magnus* quosdam merito inter ignobiles & minores gentium Deos, *Methotim, Fro, Hollerum, Vagnoftum, Hadingum, Rostiophum, Finnonem*, *Rostarum*, qui veneficiis & insolitis patrandis clari, pontifices vel sacerdotes, aliquando etiam Reges facti, postremo benignitate vel simplicitate gentis nostræ ex hominibus in Deos evaserunt, ad imitationem *Romanorum*

Dii nostrates minorugm entium.

 424, De facris.

norum & *Græcorum*, qui ſuis Regibus bene meritis etiam divinos honores tribuerunt. Et hæc quidem de Diis & eorum numero & officio qvatenus hactenus cognitum. Cæterum qui & quot ſacrorum horum antiſtites fuerint, ſinguline Dii ſuos habuerint flamines, ſacra, templa, lucos, an communia & conjuncta? Fuerintne ſacerdotes ſolis ſacris dediti, an etiam aliis civilibus functionibus devincti, quibus deinde legibus, honoribus, præmiis ſacra peregerint, res non eſt ſatis clara & evidens. Scriptor ille *Norvegicus* cujus ſæpè antea mentio facta eſt, cum memorat ex Scythia in S*veciam* primo per *Othinum* ſacra hæc translata, aſſerit ab eodem duodecim conſtitutos fuiſſe ſacrorum præfectos, quos *Dios* appellarunt, neſcio annon *Græcâ* voce, quaſi *divinos*, qvod divina tractarent, qui fuiſſe videntur, quod olim *Dryades* apud *Gallos*, magnæ authoritatis & æſtimationis, quod jus etiam populo dicerent. *Johanni Magno pileati & ſyan* dicuntur, fortaſſis à pileo vel tiara, integumento capitis quo uſi ſunt ſacerdotes. Neſcio annon hæc officii ratio & dignitas manſerit penes *legiferos* vel *Nomarchas*, ante Chriſtiana ſacra. Cum enim pagana religio à Chriſtiana oppugnari cœpit, conſtat

Antiſtites & miniſtri Sacrorum.

ſtat communem plebeculam ſuperſtitionibus deditam, hiſce authoribus quam maxime reſtitiſſe, nulla aliorum ſacerdotum, qui acerrimi religionis ſuæ propugnatores eſſe ſolent, facta mentione. Et quia ſacrificia anniverſaria per duodecim præfectorum ſive provinciarum præſidum miniſteria per vices ambularent, qui quaſi præſides victimarum in Collegio ſacro fuerunt (**Offergilde**) veriſimile eſt nullos alios ſacrorum antiſtites fuiſſe. Sed ſive ii ſive alii in miniſterio ſacrorum fuerunt, ſacra ipſa, ſi conferantur cum iis, quæ cum Chriſtiana religione paulo poſt introducta ſunt, ut alia omnia ſeculorum iſtorum, ſimplicia & rudia fuerunt, unico *Upſaliæ* cultu, & paucarum præterea civitatum, excepto. Conſtat intra lucorum ſuorum umbram & horrorem ſtetiſſe, & ſi ex reliquiis paganiſmi, quæ noſtro ſeculo in ultimo S*eptentrione* ſuperſunt, judicandum eſt, magis ut homines aliquid fuiſſe, quam quid fuerint, certo ſcire poſſint. Hos tamen Deaſtros majores noſtri, ut aliæ gentes, ſangvine & cruentis ſacrificiis etiam hominum propitiare ſoliti, ut modo dictum. Ideo jura in novis ſacris à *Chriſti* fide vetant ejusmodi hoſtias & ſangvineas cædes, **Engin ſkall Affgudom blota**
quod

quod verbum hodiè inusitatum, *sangvinem mittere*, sive *sangvine placare*, significat, & Blotmadir, *vir sangvinis, sacrificulum* sive etiam *aruspicem* designat, virum scilicet qui vel victimas Diis dabat aut offerebat, vel ex earum inspectione etiam divinabat, ut *Etrusci* apud Romanos. Tria vero habebant anniversaria pro sacrificiis festa: primum paulo ante solstitium brumale pro annona & frugibus *Cereri*, vel *Veneri Freæ*: alterum & summum paulo ante æquinoctium vernum, in mense *Februario*, pro fructibus & reliquo terræ proventu, communiter vero pro publica omnium salute, ut verisimile videtur, summo Deorum *Thoro*. Tertium circa solstitium æstivale pro victoriis adversus hostē, *Marti* & *Mercurio* nostro *Otthino*, præter hoc, triennio quoq; etiam novennio quolibet, convenerunt magna festivitate quasi jubilæum concelebrantes. Sacrificia, ut ante dictum, cruenta fuerunt, boves &, quod Scythicam originē arguit, equi, interdum etiam homines, præcipue pueri & juvenes, sed raro, nam nec apud alias gentes, præcipue *Europæos*, infanda hæc sacra, nisi summa urgente necessitate in usu fuerunt. Carne vero equina & bovina, ut delicatissima, & ejus pingvedine vescebantur,

& in

& in epulis hiſce publicis præcipuè conſiſtebat eorum cultus: Locus autem huic cultui erat præcipuè *Upſala*, ut ante memoratum, toto *Septentrione* celebris: Lucos tamen ubiq; habuere, qvi vel ſacri numinibus, vel in quibus ſacra numinibus fiebant, quorum memoriam vix tot ſeculorum curſus plane abolere potuit, quo minus adhuc hodiè ſuperſtitione quadam à multis recolantur, ideo jus antiqvum, dum ſacrificia prohibet, etiam fidem lucis detrahit, **Engin ſkall a Lundom troa**/ ſed hæc gentilitia ſacra mittamus.

Religio *Chriſtiana* primæva.

Cum autem lux *Evangelii* affulſit, venit religio ad nos non uſq; quaq; puritatem fontis retinens, quò etiam propior ſcaturigini, eò ſimplicior. Longius diducta aliquid ex prurigine & æmulatione ingeniorum, tanquam ex limo, turbulenti trahens, varios in canales diffuſa, multum ex ſpirituali ſapore amiſit. Statim enim poſt tempora *Apoſtolorum* varietas hæc opinionum cœpit, & in tanta diverſitate regionum & populorum in partes itum eſt, 1. Circa ſenſum de Deo & perſona *Salvatoris*, plerisq; quid *Chriſtus* eſſet, magis quam quid nos eſſe vellet, ſollicitis: deinde quoad Dei cultum: religione jam tuta & in honore ſub Chriſtianis

Religio *Chriſtiana* in ſectas diviſa.

prin.

2,2,8, De sacris.

principibus, antistites ejus veriti ne simplicitate prædicationis apostolicæ & nudæ sacramentorum administrationis, religio vilesceret aut etiam periret, eam certis quibusdam ritibus & ceremoniis circumvestire aut devincire cœperunt, vel ad normam & pompam Ecclesiæ veteris testamenti, vel ad morem & similitudinem gentilium, sive quod alternante tunc *paganismo* & *Christianismo* sub similitudine qvâdam externorum rituum multos induci ad Christiana sacra posse putarent, sive quod eam sic ornatam melius rudi plebeculæ placere sibi persvasum haberent, qvæ specie externorum magis quam re ipsa ducitur. Ad hæc lapsu temporis plura adjecerunt, ordines, regulas & vota monasticorum, prohibitiones ciborum, cœlibatum clericorum, tum venerationem imaginum, invocationem Deiparæ matris & sanctorum, quasi ejusmodi operum & cultus inventione, Deo nostro, supra id quod ipse jussisset, aut etiam contra quam jussisset, vel invito gratificarentur, quæ nunc memorare nostri non est instituti, quia nec multa de his nisi incidenter in legibus nostris Ecclesiasticis præcepta, in quibus tamen sibi adeo antistites placuerunt, ut paulatim juxta assurgere, munia magi-

ſtratus politici in ſe trahere, & tantum authoritatis ſibi vendicare, ut ad extremum, non modo ut Reges gentium, ſed & ſupra Reges gentium dominarentur, paſſi ſe non gratioſos tantum, ſed & ſanctos vocari, contra quam ex inſtituto religionis *Salvator* noſter eos eſſe voluit. Atq; hic erat religionis & Eccleſiæ *Europææ* ſtatus, cum aliquandiu poſt *Caroli Magni* tempora religio ad nos veniſſet per *Germaniam* & *Angliam*, his acceſſionibus neſcio onerata magis an honorata. Veriſimile tamen eſt non ſtatim hunc cultum & novorum rituum apparatum cum religione veniſſe, qui aliqvandiu poſt, magis in praxi quam libris, invectus eſt & invětus. In quantum ergo leges noſtræ Eccleſiaſticæ his deferunt, has breviter attingamus, quia cum iis qvæ cum commodo Eccleſiæ latæ ſunt, conjunguntur. Nam qvod cultum numinis attinet, qvis præter DEUM ipſum hominibus præſcripſerit, cum veritas ipſa aſſerat *ſe fruſtra coli mandatis & inſtitutis hominum.* Religionis ergo & cultus divini præcepta ex ſacrarum ſcripturarum codice petenda, quæ ducent ad veram vitam. Quia tamen præterea multa etiam ſunt præcipue circa externa, quæ ut dixi, cum commodo religionis ordi-

Præcepta & leges de cultu numinis.

Leges circa externa quæ inſerviunt religioni & cultui.

nari

 2,2,8, De sacris.

nari & constitui possunt, quorum cura, ad cultus divini propagationem, non minus ad Reges, quam religionum antistites, imò vero præcipue ad Reges pertinet, ideo de iis ad ductum juris antiqui paucis agendum est, præcipue cum ex iis multæ leges etiam hodiè utiles observentur, ut si dicatur 1. De Ecclesiæ sive Parœciæ alicujus constitutione, templi ædificatione, consecratione, ornatu, reditibus, ministris. 2. De Episcopis & Clericis, eorundem officio, sustentatione, præeminentia & dignitate, 3. De foro Ecclesiastico & ejus causis.

Templum fundare & erigere, sive Ecclesiam aut cœtum constituere, quo certo loco ad sacra facienda conaventur, juris fuit olim mere Episcopalis ab anno 1295. usq; ad reformationem, videtur tamen antiquitus inter *regalia*, sive reservata Regis censitum, **Konungar skal Kiörckio byggia**; unde nec hodie absq; scitu atq; permissu Regis id facere Episcopis concessum, cujus ut alia absint, scire est divisiones & districtus territoriorum, propter reditus fisci & justitiæ administrationem. Constitutio Ecclesiarũ & templorum fundatio.

Ceterum jure loci & cœtus impetrato, vel privatis ædificare propria impensa concessum, sub spe juris patronatus, vel omnibus pro ratione

virium & conditione uniuscujusq; imperatum, sub pœna pecuniaria, quæ tota Ecclesiæ novæ cessit, utpote à membris ejus, qui ideo jus patronatus antiquitus habuisse videntur in eligendo pastore.

Ornatus Ecclesiæ.

Templo novo ornatus debebatur, qui præcipue consistebat, in campanis, in vestimentis sacris, quibus vel altaria vel ministri Ecclesiæ, qvoties sacra facerent, ornarentur. In Chrismate, corporali sive patella, calice, baptisterio, quæ sacramentorum administrationi inservirent, in cereis, candelabris, thuribulis, in libris ritualibus & cantui factis, nulla prorsus mentione sacrorum Bibliorum.

Reditus Ecclesiæ.

Reditus autem Ecclesiæ quibus vel ejusmodi ornatus comparari debuit, vel templum ipsum reparari & conservari, consistebat primo in decimis ex omni frumento, quarum trientem Ecclesia sibi vendicabat, ut postea dicetur. Deinde in mulctis quæ ex causis fori Ecclesiastici dabantur, præcipuè ubi in Ecclesiam peccatum erat, major tamen pars Episcopis cessit. Tertio in donationibus & legatis quæ devoti homines faciebant. Licuit enim utiq; in pias causas qvantumlibet Ecclesiæ dare, ex bonis acqvisitis, etiam invitis hæredibus, ex avitis

Donationes & legata.

vero

2, 2 d, De sacris.

vero fundis, ipsis nolentibus, non nisi decimam. His Ecclesiæ bonis præfecti dabantur tutores seu defensores, Kiörckiowäriande/ qui providerent ne bona Ecclesiæ alienarentur aut dissiparentur, sed sarta tecta in usu & possessione Ecclesiæ, & in ornatum ejus & conservationem permanerent. Præfecti redituum.

Post hoc ergo de religionis & Ecclesiæ antistitibus dicendum, eorum jurisdictione, ac primo quidem de *clericis* in genere, quinam eo nomine veniant, & quænam eorum privilegia. Jura antiqua discrimen quidem inter *laicum* & *clericum* faciunt, sed quinam Clerici dicendi sint, quæ eorum privilegia, & quinam iis gaudere debeant, non satis enucleatè tradunt, nisi in quantum ea ex iis, quæ porro dicenda sunt, delibasse suffecerit. Sub clericorum ergo nomine constat non Episcopos tantum & canonicos, presbyteros & pastores, & quicunq; iis â sacris in ministerio sunt, sed etiam Monachos, moniales & scolasticos intelligi, qui haud ita pridem, discreta ab aliis vestium forma, *Diaconi*, dieckner/ nuncupabantur, quod nomen etiam hodiè retinent.

Differentias ergo & varios Clericorum ordines sub his jura antiqua vel ignorant, vel prætereunt. Ordines Clericorum

tereunt, uni Ecclesiæ binos tantum ministros assignant, *Pastorem*, & *Æditum* sive *æditimum*: Illum ut sacrorum præfectum & administratorem; hunc ut custodem templi, feriarum & funerum, campanæ pulsu, nuncium, & illius ministrum in expediendis externis, quæ inserviunt cultui divino & sacris: utrumq; vocare Ecclesiæ jus fuit, sed vario antiquis more. Omnia tamen jura in eo consentiunt, quod ad Ecclesiam pertineat electio & præsentatio pastoris, ad Episcopum vero confirmatio, nec fas fuit eam repudiare, quam omnes cuperent, nullâ meritorum personæ habita ratione, nisi commodo & suffragio ecclesiæ juvaretur: Esse enim pastorem propter Ecclesiam, non Ecclesiam propter pastorem. Si vero Ecclesia aut non consensisset in unum aliquem, aut intra certum tempus non petiisset, Episcopi fuit providere ei pastorem, & constituere quemcunq; vellet: sive vero constitueret sive confirmaret, hæc in candidato requirebantur 1. ut literas haberet & documentum ordinis & consecrationis **Wixlobreff**. 2. ut doctrina aliqua præstaret **Skudin kunst hans**. 3. ut aliqua ætate & morum gravitate esset, **Präst och ey Pöpling**.

Pastoris constitutio & vocatio.

Requisita.

Com-

2, 2, 8, De sacris.

Comministros Ecclesiarum, quos hodie sacellanos nominant, jura antiqua non tangunt, & ante reformationem vix est ut inveniantur ruri pastoribus additos fuisse adjutores, præcipuè cum cælibes curis domesticis pastores non magnopere implicarentur, nec ea etiam olim esset Ecclesiarum magnitudo, aut etiam multitudo, cui non sufficeret unus Ecclesiæ minister in expediendis sacris, cum non fatigarentur explicatione aliquâ textuum sacrorum.

Circa Electionem Æditui, Ecclesia eligebat & præsentabat pastori, quem nisi confirmare vellet (habebat enim suum votum) poterat alium constituere, sed suo periculo, factum enim ejus præstare tenebatur, si quid damni, ejus culpâ, ædes sacra vel furto vel incendio accepisset, quod ubi æditúus resarcire non poterat, de suo pastor supplere tenebatur, alibi tamen cum pastor & Ecclesia unanimi voto in aliquem consensissent, utraq;, factum ejus præstare tenebatur; *Jura Gothica*, quoties pastoratus vacabat, ut in omni alia electione judicum & Magistratuum, tres eligebant & Episcopo præsentabant, ut unum ex iis, quemcunq; vellet, confirmaret, totidem etiam Æditui.

jam in locum Æditui amissi pastori præsentabant, ut suo arbitrio in unius eorum confirmationem uteretur. Huic pastor claves templi & ædium sacrarum, pastori Ecclesia tradebat. Erat ergo ejus officium, ut id primum dicam, fores ædis sacræ, & quæ ei adjecta fuerunt, reserare & claudere: deinde campanæ pulsu (unde & nomen apud nos invenit, ut *Campanarius* dicatur) horas precum singulis diebus & conventus festis & feriatis significare, deniq; si quando funus aliquod terræ demandandum esset. Ad alia campanarum usus non fuit, nec alteris nisi Æditui consensu licitum pulsare sub pœna aliqua: Tempore vero incendii & hostilis invasionis, etiam aliis impune concessum: tertio comitari pastorem aut ministrum Ecclesiæ & deferre secum res usui sacramentorum destinatas, quoties vel ægroti visitandi essent, vel infantes baptizandi; Quarto, arcere vulgus profanum â contactu rerum sacrarum. Gravi mluctâ plectebatur Æditnus, si quis chirotecas, capitium, arma aut aliud quid altari imposuisset, si quis manum aut digitos immisisset in baptisterium, infante aquâ sacrâ abluto. Hæc ex legibus & alia ex arbitrio & mandato pastoris, circa

2,2,8, De sacris.

ris circa curam cœmeterii & ædis ſacræ Æditus obſervanda fuerunt, pro quo alibi ſemiſſem, alibi trientem frumenti, modii noſtratis, & præterea quoties etiam oblationes vel publicè fiebant, vel â privatis, recepta in Eccleſiam poſt puerperiem muliere, aliquid panis & eſculenti, aut ejus loco pecuniolam habebat, quod & hodiè ubiq; ferè obſervatur. Salarium.

In officio Epiſcopi & paſtoris mirum quam leges omnes prætereant prædicationem verbi divini, tanquam rem vel ſupervacuam, vel infra eorum curam, ad lectores & inferiores clerici ordinis amandandam. Prima & præcipua officii ratio conſiſtebat in miſſificando, ut gentilibus in ſacrificando, quos & in hâc parte æmulati videntur, qui ex miſſâ etiam ſacrificium fecerunt, ſed hoc erat commune cum reliquis paſtoribus, illud peculiare fuit Epiſcoporum, primo, ut templa & cœmeteria conſtitui curarent, ſive recens & à fundamento inſtaurata dedicanda, quod non ſine magna pompa & impenſa fiebat, ſuppeditante Eccleſia ſumptus, ſive aliquo caſu polluta & profanata, puta cæde, ſangvinis effuſione, ſtupro, adulterio etc. in integrum re- Officium Epiſcopi.

ſtauranda eſſent, deinde ut quolibet triennio viſitarent Eccleſias, paſtores & miniſtros, ubi deeſſent, iis præficerent: Ædificia ſacra, eorum ornatum, ſuppellectilem, rationes & reditus re-recognoſcerent & curarent, defectus & errores emendarent: Tertiò, ut præſiderent in judiciis rerum ſacrorum, & cauſas fori Eccleſiaſtici dijudicarent, de quibus poſtea.

Reditus Epiſcopi.

Pro hoc decernunt illis leges, 1. Omnes reditus ex bonis & prædiis Epiſcopalibus, quæ ſedi olim data vel conſtituta fuerunt, quæ ut illa fiſci, Upſala ödhe/ ita hæc Staffzboo & Stoolsboo/ id eſt *prædia baculi vel pedi paſtoralis* ſive *ſedis* aut *cathedræ* dicebantur. 2. Trientem ex omnibus decimis frumentariis per totam diœceſin. Quædam tamen jura ita decimas dividunt, ut triens ſemper quidem paſtori, bes vero reliqvus trifariam dividatur, data Epiſcopo una, altera Eccleſiæ, tertiâ pauperibus parte, alibi etiam præſertim in tractu boreali, ubi inſignis copia & captura piſcium & ferarum, Sextans vel decima quinta ex halece, ſalmonibus, vitulis marinis & pellibus ſciurinis. 3. Mulctas ſive pœnas pecuniarias omnibus criminibus & cauſis quæ in foro Eccleſiaſtico tractabantur,

 2/2/d, De sociis.

bantur, quæ ingentem summam conficiebant, ut mox patebit, sive totam, ut in quibusdam causis, sive sibi partem ejus cepissent, ut enim fiscus interdum partiebatur cum actore & territorio, interdum sibi soli vendicabat, ita & Episcopus cum Ecclesia & actore. Habebant & Episcopi suam *Tuccham* in cæde aut vulneratione servi, reverentiæ Domini debitam mulctam, de quâ supra, & quoties Ecclesias consecrarent, suum honorarium lege decretum. Præterea ubicunq; Rege vel fisco data est successio in bona vacantia laici, non extante vel intra fatalem diem comparēte hærede, ibi simile jus eodem in casu datum est Episcopo in bona vacantia Clerici. Perinde tantum ubi ex homicidio Clerici aliquid fisco & territorio sive communitati (si res ad pœnam pecuniariam venit) debebatur, Episcopus jus fisci, templum cathedrale territorii occupabat.

Juxta hos reditus summa quoq; dignatio decernitur illis, & gradus honoris post Regem secundus, & inter Senatores primus. Pompæ quoq; eorum leges inserviunt, si quando aut ad Regem, aut in visitationes Ecclesiarum ituri. Cibatui quoq; eorum prospiciunt, non tam delicato quidem — Dignitas.

dem quam largo, tempora enim illa omnem lautitiam, condituras vini & aromatum usum ignorâsse videntur, contenta iis quæ cuiq; suum natale solum ad victum subministrasset; Sed hæc de Episcopis. Munus pastoris seu Ecclesiæ ministri, leges in eo constituunt, ut cantet, legat, missificet, baptizet, annunciet, absolvat, copulet, introducat, inungat, vigilet, sepeliat, &c.

Cantus & oratio.

Cantus & oratio ut plurimum *latinâ* lingva peragebatur, in quam rem libros temporum, uti vocabant, Tijdaböcker/ non sine magna impensa Ecclesia comparabat, de quibus leges cavent, ne plures quam ex usu Ecclesiæ, nisi ut suo sumptu pastor coëmat. In hisce libris descriptum erat, quid singulis diebus dominicis & festis canendum, orandum, legendum esset, & quia totus cultui divino dies dicatus, matutinum & vespertinum tempus præcipuè in cantu, medium in missa celebrabatur, unde etiam hodie nomen retinet, Ottosång/ Höghmässa/ Afftonsång. Hæc tria præstare pastor debebat.

Missificare.

Baptizatio.

Baptismum in loco templi huic rei secreto administrabat, non sine multis quidem ceremoniis, quas tamen leges non tangunt, hoc saltem ut pa-

trini

2/2/d, De sacris.

trini adhibeantur, si fœmella sit, binæ fœminæ, & unus ex virili sexu, si sexus virilis, bini viri & fœmina una. Quædam leges à viris patrinis exigunt latinè *Pater noster*, *Credo* &c. qvasi *latina* lingva quam non intelligebant, plus roboris haberet ad efficaciam baptismi pro salute infantis quam patria & nativa, sive etiam quod à splendore *Romani* imperij & lingvæ ejus præstantia plus etiam splendoris & authoritatis accedere putarent religioni, ideo sacra *Romana*, nonnisi *Romana* etiam lingva ut plurimum, præcipue in cantu peragi voluerunt. Baptismum tamen non ita loco sacro aut ordini Ecclesiastico alligarunr, ut non liceret in casu necessitatis domi baptizare, etiam patrinis aut parentibus, absente Ecclesiæ ministro, non obstante aliqua spirituali cognatione, quæ in hoc casu cessabat. Ceterum cum sæpè Ecclesiæ minister uno eodemq; tempore vocaretur à diversis ad baptismi administrationem in infante, aut sacræ cænæ in ægroto, aut ad unctionem in morituro, quædam jura præferunt baptismum, quædam visitationem ægroti, quod baptismus à *Laicis* etiam præstari possit, Sacra cœna autem nonnisi à *Clericis*; omnia vero extremam unctionem, ut minus necessariam, postponunt.

Denuncia-tio.

Denunciare aliquid Ecclesiæ ministrum in loco sacro jura vetant, sub gravi pœna, præcipuè de re profana aut civili, tantum quinque exceptis casibus, in quarum singulis trina denunciatio vel permissa vel jussa, idq; non è suggestu, sed ante fores Chori & Templi, ut si 1. Decimæ redditæ non forent, debitores admonerentur de præstandis, sub comminatione exclusionis ab usu sacræ cœnæ, quod tamen antiquissima jura improbant & vetant, ratione longè potiori, advocato tantùm in exigẽdis brachio seculari cum aliqua contumaciæ pœnâ. 2. Si copulatio peteretur & benedictio conjugij, ut sponsorum nomina ederet, ne si quid esset quod indicatum nuptias impediret, post copulationem primum objiceretur. 3. Si Laicus Clericum pulsasset aut verberasset, citaretur pro satisfactione præstanda Episcopo, etiam *Romam* ad pœnitentiam mittendus. 4. Si dies festus aut supplicationis instaret, ut ejus admonerentur auditores. 5. Si quis delatus esset secreti alicujus criminis, ut moneretur confiteri, suppresso tamen ejus nomine in hunc modum: *Audio in Ecclesia mea tale peccatum committi, hortor illum qui se ejus conscium novit, ut me conveniat & confessione factâ*

ne factâ id expiet, & cum Deo in gratiam redeat. Si post trinam denunciationem suspectus venire nolit, minister Ecclesiæ eum convenit & secreto rogat, si nec tunc quidem parere velit, adhibitis duobus testibus liberius admonetur eò usq; ut aut confiteatur, aut per compurgatores objectum crimen diluat.

Crimen privatim confessum revelare Ecclesiæ ministrum, grande nefas, nec impune quidem, nisi ut se ejusdem criminis pœnæ obnoxium faciat reo omisso; Si tamen de crimine aliunde constaret, juvit privata confessio in quibusdam, in quibusdam non juvit: Juvit in perjuriis compurgatores a pœna pecuniaria Episcopo debita, non juvit principalem reum, nec à pecunia, nec à pœnitentia publica. Nec etiam confessum de adulterio, stupro, homicidio, violatione sabbathi, perjuriis vel quocunq; alio crimine, quod quidem esset fori Ecclesiastici, unde pœna pecuniaria vel in totum vel in partem Episcopis cessit. In adulterio tamen juvit privata confessio, sed si adulteram à se gravidam nesciret, secus si sciret, ut in quocũq; crimine quod celari non posset.

Ceterum confessione factâ, absolutio vel

privata

privata vel publica ſeqvuta eſt. Privata *auricularis* dicta, cum quisq; peccata ſua ſive occulta ſive manifeſta in aurem Eccleſiæ miniſtro confiteretur, quærens abſolutionem. De hac leges fuerunt, quarum modo mentio facta eſt circa crimina quæ celari poterant. Confeſſio & abſolutio *publica* iterum duplex erat, una quâ omnes pœnitentes ſimul & ſemel confeſſi abſolvuntur, quod hodie ut plurimum uſitatum eſt; altera quâ ſinguli in crimine aliquo deprehenſi, poſt ſatisfactionem legi præſtitam hactenus ab aliqua Eccleſia excluſi, ſiſtuntur iterum Eccleſiæ, publice deprecantur & abſolvuntur, ad quam pœnitentiam ut olim, ita & hodie ex ritu veteris Eccleſiæ à magiſtratu politico remittuntur, quicunq; in notorio aliquo crimine rei convicti & damnati ſunt. Ceterum hîc difficultas non exigua exorta eſt inter magiſtratū politicum & Clericos, ut ſi forte aliquis E. G. adulterij vel perjurij in foro politico ex præſumptionibus & juramento *Nembdæ* damnatus, ſive ex contumacia, ſive quod ſibi ſceleris iſtius conſcius non ſit, nolit confiteri, quid ipſis faciendum ſit? cum nulla niſi poſt confeſſionem abſolutio ſeqvi poſſit, an retinendus ſit in peccato, de quo non

ſatis

ſatis conſtat, an dimittendus & Dei judicio relinquendus ? quod ut tutius plerumq; clerici ſeqvuntur.

Iuxta abſolutionem à confeſſione, poteſtas ligandi à *Chriſto* tradita, etiam ad Eccleſiæ miniſtros pertinet. Excludere ad tempus à cœtu Eccleſiæ paſtoribus permiſſum, excommunicare nonniſi Epiſcopis, illud **ſättia i fôrbudh/** hoc **ſättia i band** vocabant. Excluſus Eccleſiam convenire non potuit, niſi ut miſſa caderet, in cujus pretium Eccleſiæ tenebatur. Excommunicatus verò nec hominem quidem chriſtianum convenire debuit extra Eccleſiam, ſi tamen poſt miſſam inchoatam in templum intrâſſet, non vi abduci potuit, nec miſſa propterea cœpta relinqui, non obſtāte ejus præſentia. Molliebat tamen peccatum ſuum, ſi quātumvis cetera contumax, à *Creophagia* (**kiöttättu**) ſive eſu carnium & Eccleſia ſe abſtinuiſſet. At quibus in cauſis excluſio vel excommunicatio admiſſa? In impœnitentia ſcilicet & ſpretis admonitionibus pertinacia peccandi? debuiſſet quidem, nec tamen niſi in genere memoratur, ex cauſis quę fori eſſent Eccleſiaſtici, & ſic tamen ut in quibusdam criminibus, puta fornicatione vel ſtupro, in

Exclusio.

Excommunicatio.

quibus libertas loco motivæ eſt, perſeverantem, non modo non arceant ab Eccleſia, ſed etiam privilegio adverſus paſtorem muniant, ne confeſſus exterminetur, tanta indulgentia adverſus peccatum cœlibatui clericorum familiare. In quibus ergo cauſis præcipue excluſio & excommunicatio excercita? Si decimæ non præſtarentur, ſi condemnatus ad pœnitentiam, non ſubiret, ſi quod paſtoris eſſet aut Eccleſiæ, non redderetur.

In hiſce cauſis hoc fulmen vibrabant; excludebat primo paſtor nonniſi tamen ex Epiſcopi conſenſu; ſi excluſus intra annum peccatum non emendaſſet, excommunicabat Epiſcopus, ſi nec tunc quidem pœnituiſſet, ſecularibus judicibus ad ſupplicium capitis traditus eſt. Nullam enim eſſe efficaciam clavium *Petri*, niſi gladius *Pauli* acceſſiſſet, quem non inutilem ſentiebāt tam in promovenda quam confirmanda religione. Itaq; Reges quidam *Norvegiæ* ſub initio *Chriſtianiſmi* quoſdam quos præmiis & argumentis invitare non poterant ad fidem *Chriſti*, vel vivicomburio, vel ſuſpendio aut ſubmerſione, vel exoculatione & mutilatione membrorum puniebant, quibuſdam vivos ſerpentes ingerebant, quo nomine haud ſcio

annon

 2,2,d, De sacris.

annon magis quam miraculis post mortem confictis, sanctificatus sit nonnemo ex Regibus istis, quod ejusmodi complementis in gremium Ecclesiæ compulerit idololatras, & in Christum credere coëgerit nolentes. Verum ubi excommunicatus contumaciam pœnitendi capite luebat, succedebat tamen in mobilia fiscus (quod alioquin, cum contra Ecclesiam peccaretur, factum non est) in immobilia vero hæres proximus, jura tamen recentiora mitigant & totam hæreditatem hæredibus relinqvunt.

Introductio, seu ut nostrates vocant, templi itio à ritu Ecclesiæ veteris testamenti est, quâ fœmina statis à puerperio diebus in Ecclesiam recipitur, hanc, sive necessariam sive indifferentem crediderint, necessitatem tamen ministerij sacri ordinis in eo posuerunt, quod eò usq; pollutã persvaderent, & indignam quæ viro suo frueretur. Itaq; si officium suum minister Ecclesiæ in introducenda denegasset, data fuit mulieri adversus eum qverela, inofficiosi, non testamenti quidem, sed ministerij, quo usus thori conjugalis interciperetur. Introductio puerperæ.

Atq; hæc omnia hactenus debebat parochus vivis, debebat & quædam morituris & mortuis. Extrema unctio.

Morituris quidem extremam unctionem ut sacramentum, Mortuis vero trium noctium vigiliam, tres missas, consecrationem funeris & sepelitionē, atq; hæc promiscue domesticis & peregrinis, ditioribus & pauperibus, sed non sine pretio & mercede, pauperibus tamen & mendicis gratis. Trinoctii vigilias continuas præstabant; missas per intervallum, primam ante consecrationem funeris, alteram post septem dies, tertiam post mensem, quartam (quam non sine grandi pretio hæredes defuncti ditiores mercabantur) post annum. Convivia quidem moris fuit juxta instruere, unde in jure municipali, **vthfärdzöhl/ månadamodzöhl/ åhrsmodzöhl**: Atq; haud scio annon morem hunc ab ipso Ethnicismo habuerint, constat enim in memoriam defuncti Diis inferis libâsse, & in eam rem grande poculum circumtulisse quod **Bragbegaren** nominabant. Mortuum sine tali præparatione & viatico viæ committere & sepulturæ, grande piaculum, nec sine pœna pecuniæ hæredum, cujus pars Ecclesiæ, pars parocho, pars etiam fundorum dominis cessit, quâ funus ductum fuit, quasi malè curatum illos vel contaminasset vel benedictione divinâ spoliasset, si tamen Parochus vel justa ex causa

Vigilia & sepultura

424, De Sacris.

causa impeditus foret, vel spe majoris præmij & mercedis operam impertire noluisset, poterant impune sepelire, parocho hoc posteriore casu accusato & mulctato.

In hisce ergo quæ jam dicta sunt, officij pastoralis ratio consistebat, sequitur pretium laboris & præmium, quod primo omniũ pro sede & mænsione ejus prope Ecclesiã, in aliquo prędio rustico fuit, vel in finem hunc a piis & devotis hominibus datũ vel ab omnibus & singulis parochianis coëmptum, sic ut onera ex fisco debita præstarent. Postquam vero quantitas prædij ad certam mensuram lege determinata fuit, puta 20, 15 vel 10 jugerum, libertas à Rege in eam tantum mensuram data fuit, ut si plus coleret, pro eo canonem præstaret, nisi id quoq; speciali gratia & indultu immune habere posset, quod postea factum, sic ut hodiè absq; discrimine plus minusve colatur, pro toto, libertate olim acquisita gaudeant. Fundo quantocunq; leges in villam septem habitacula decernunt, quæ propria impensa pastor sarta tecta reficere & conservare teneretur, nec plura, nisi ut suo sumptu, etiam ædificet, hæc enim sufficere visa cœlibi, nec numerosam alenti familiam: Sunt autem

Mansio & reditus pastoris.

hæc, culina, cubiculum, cœnaculum, horreum, stabulum, penuarium, granarium.

Donationes & Legata.

Extra ordinem pastori etiam fundi obvenerunt ex piorum hominum donationibus & legatis, de quibus apparet ex legibus, controversias sæpe fuisse pastori cum Ecclesia, cum hæc in sui ornatum, ille in alimoniam sibi data contenderet.

Decimæ.

Deinde inter ordinarios pastoris reditus etiam decimæ fuerunt, atq; ex decimis frumentariis utpote, tritico, siligine, hordeo, avena, triens pastori cessit, numeratione manipulorum in agro certo ordini, quo fallaciæ non foret locus, adstricta. Reliqui duo trientes inter Episcopum, Ecclesiam & pauperes, ut supra dictum, dividebantur. Deinde decimæ ex omni legumine, cicere, fabâ, rapis, oleribus; ex lupulo, cannabi & lino decima sexta; nec dubium est quin ex fructibus etiam hortorum, ut pomis, pyris, cerasis, &c. decerpsissent, si cultus eorum fuisset, cum leges antiquæ ferebantur, quæ etiam glandes quercinas & myricas curant; apparet vero cœptum esse circa tempora Regis *Magni Smekij*, vel paulo ante, qui primus omnium, hortorum munitioni & securitati cavit. Decimæ etiam ex pecorum partu, pullis

eqvini

2, 2, d, De sacris.

equinis, vitulis, agnis, hædis, porcellis, anseribus, gallinis, atq; ita ut si proventus uno anno ad decimam se non porrigeret, decimarent altero vel tertio, connumerato singulorum annorum partu, vel etiam decimam pretij ejus, quod partum esset, præstarent, quod jura etiam definiunt, ut & tempus quo dari debent, quod in diversis locis aliud atq; aliud, ex lege vel consvetudine provinciæ. Postremo decimæ etiam ex omni piscium & avium captura, etiam alibi ex pellibus sciurinis, ex feris prostratis, ut armus ex alce vel urso, ex quo satis liqvet etiam carnem ursinam in esu fuisse, secus quã hodie in regionibus, præcipuè ubi quæstus ex venatione & piscatione.

Præter hos reditus ex prædiis & decimis, etiam anniversariæ oblationes in altari vel ad altare decretæ erãt, à legibus non jussæ tantum, sed & sub pœnam ad certam mensuram & quantitatem coactæ. Fiebant autem alibi nonisi semel in anno, alibi ter, alibi quinquies, in summis præcipuè festis, vel in pecunia, vel in pannis lineis, ferro, pane, caseo, butyro, carne, &c. pro cujusq; provinciæ conditione & proventu, atq; hi quidem stati & ordinarij erant reditus pastoris. Anniversariæ oblationes.

Habe-

Extraordinarij reditus

Habebant & extra ordinem ſuam mercedem & operæ pretium, ſi quando vel ſponſos copulaſſent, vel puerperam introduxiſſent, vel ægrotum viſitaſſent, vel mortuum conſecrâſſent & ſepeliviſſent: quædam leges determinant & definiunt, quædam in arbitrio contrahentium relinqvunt, nemini gratis opera præſtabatur, niſi mendicis & extremè pauperibus, & præcipuè hæc poſtrema, quæ eſt in funeris curatione, in re maximè ſupervacua mercedem longè maximam requirebant, ac niſi hæredes defuncti pauperis ſufficerent præſtandæ, ſuccederent in tertiam partem bonorum defuncti: Conſideratione autem non indignum eſt, quod ut natura communiſſimum omnium animantium generi fecerit, naſci & mori, tanti conſtitit *Chriſtianis*, ut nec ſine pecunia in vitam & Eccleſiam venire, nec ſine ea honeſtè abire, aut cum honore in terram reverti liceret, palliabatur tamen eo, non mortui ſalutem emi, ſed ſpem reſurrectionis oſtendi. Neſcio ſanè. Si pretia vigiliarum & miſſarum conſideraveris, neceſſe eſt vel ſalutem mortui aut mitigationem pœnæ in purgatorio quæſitam fuiſſe, aut miſerè homines pecunia ſua defraudatos, quorum hoc certè veriſſimum fuit,

quid

De sacris.

quid enim aliud hæc commenta fuerunt quam everriculum quo bona mundi ad se traxerunt, qui, cum in mundo essent, de mundo tamen fuisse, ex *Salvatoris* electione videri noluerunt. Pro baptismo & initiatione pecuniam quidẽ minorẽ acceperunt, sed tamen acceperunt, nec dubium est quin pro *Eucharistiâ* & absolutione etiam exegerint, non tantum tempore *Pascatos* ubi singulis solvendum erat, sed & subinde, cum mos ille etiam hodiè quibusdam in locis retineatur, turpis sanè & scandalosus, præcipuè ubi exigitur, ut debitus, quod alicubi constat, etiã cum comminatione, ac si indigni manducent non soluto absolutionis pretio. Alibi tamen nullius coactionis sed spontaneæ oblationis vel liberalitatis velo obumbratur, in plerisq; tamen parœciis obsolevit, sed hæc de sacerdotibus, eorumq; officio.

Restat ultimum de foro Ecclesiastico ejusq; causis. Certum est Episcopos non tantum audientiam sed & jurisdictionem habuisse, non conjunctim tantum cum judicibus provincialibus in summis judicijs Regijs anniversarijs, de quibus supra *libro primo*, sed & separatim jus dixisse, non in cathedra tantum & capitulo, sed & ruri, ubicunq; — Forum Ecclesiasticum

& quotiescunq; visitassent, alioquin etiam ruri per vicarios suos, ut alij judices seculares, hoc munus obibant. Judicia eorum, ut alia omnia, certo personarum ordine constiterunt: *Nembda & procuratore fisci.* *Nembda* non erat ordinaria, sed, ut ante dictum, in certos casus sumpta, in quam utrinq; partium consensus requirebatur, *viri veraces, domicilij certi, & qui propter suspicionem perjurij inter sacramentales non fuissent.* Hanc sub adventum Episcopi pastor constituebat, procuratorem Episcopus ipse. Hujus erat inquirere in causas fori Ecclesiastici, eas in judiciũ deferre, agere, & ad executionem prosequi, cujus officium certis limitibus erat circumscriptum, quos ultra citraq; evagari non erat ipsi impunè. Neq; enim quemvis aut qvâvis de causâ ex meris conjecturis aut præsumptionibus accusare aut deferre licebat, sed oportebat ut aut actor principalis, quem causa proxime tangebat, prius detulisset & in judicium deduxisset, aut res notorie evidens esset, aut per testes productos posset probari, ubi circa hoc ultimum tamen notandum est, contra testes permissum fuisse reo purgatione canonicâ se tueri, quod & supra dictum est, quia hæc probatio sola pro legitima agni-

 2,2,d, De sacris.

ma agnita fuit, quæ omnes alias probandi vias & rationes elidebat, unde factum est ut si quis E. G. adulterij suspectus & accusatus se per compurgatores liberâsset, adulteram qvoq; sive sociam criminis eo ipso, ut æqvum, liberaret & absolveret. E contrario vero, si causa cecidisset non præstitis sacramenralibus, adulteræ nihilominus potestas esset ad purgationem hanc canonicam confugere, quâ exhibitâ aut præstita admissa fuit, ut in uno eodemq; peccato, quod non poterat nisi à duobus committi, alter sæpè plecteretur, alter absolveretur,

Quod causas fori Ecclesiast ci attinet, certum est Episcopos judicâsse tam *criminales* quam *civiles*, & promiscuè quidem quoties clericus neglecti officij aut criminis alicujus accusaretur. *Clericus* coram *Laico* conveniri non potuit seculari judice, nisi aut controversia esset de fundis, quod in territorio, ubi siti, judicari oportuit, aut ipse *laicum* accusasset. Deinde causæ conjugales ad forum etiam Ecclesiasticum pertinebant, atq; ita, ut eas sibi soli qvasi maxime proprias vendicarent, ut de *sponsalibus*, *repudiis*, *divortiis*, & quidquid ejus generis fuit, unde conjugia legitima vel illicita vel nulla

Causæ fori Ecclesiastici sive Episcopalis.

nunciarentur. Deniq; omnia crimina & peccata tam adversus secundam quam primam tabulam, ad forum Ecclesiasticum pertracta fuerunt, quædam in totum, ut de iis nihil prorsus dicere haberent seculares, quædam in partem, sive ubi jurisdictio communis fuit Episcopo cum Rege & commune judicium, ut non tantum in criminibus quibusdam sed & controversiis de fundis Ecclesiasticis, sive partito cognoscerent & punirent. Ex omni enim peccato, quod sub judicis censuram veniebat, pœna sive mulcta peculiaris Episcopo debebatur. Enumeremus in specie quasdam, 1. ad forum Ecclesiasticum pertinebant juramenta & perjuria, quæ ut ante dictum est, necesse fuit in judicijs secularibus committi, nec tantum puniebantur hîc, si pejerassent, sed & si tempore & loco non legitimo, si minorennes aut banniti, aut si eo die ante jurassent, neq; tamen cognitionem perjurij sibi Episcopus vendicabat, sed illam judex secularis habebat, ita tamen ut ex errore sententiæ illius, sive is judex *territorij* vel *provinciæ* esset, teneretur is in pœnam pecuniariam propter errorem sententiæ, Episcopo duplo quam Regi. 2. Incantationes & veneficia, violationes Sabbathj, sub censu-

 2, 2, d, De sacris.

censuram fori Ecclesiastici veniebant; violasse autem Sabbatum dicebãtur, sive sacris die festo non interfuissent, sive aliquid operis profani ante vesperam fecissẽt, utrumq; pœnam meruit, sed illud si minister Ecclesiæ diem festum publicè denunciasset, secus culpa & pœna in illum recidebat, in hoc autem aliqua exceptio data fuit, & si quando, quod tempore vernali & æstivo sæpe fit, in coitione piscium agmina littoribus accessissent, liceret tempori & capturæ post sacra peracta intendere, ne postea avolantibus illis, occasio calva esset. Violationes etiam pacis Ecclesiasticæ, non modo si quis sacra turbasset, sed si quis maleficus ad templum aut cœmeterium aut monasterium confugiens, vi inde exttaheretur. Facinorosorum enim asyla erant ne apprehenderentur, nisi immediatè in vel contra Ecclesiam illam peccasset. 3. Fori Ecclesiastici erant etiam omnia homicidia, vulnerationes sive etiam verberationes, factæ, vel dictis dominicis & festis, vel in templo, cœmeterio aut via, qua ad sacra aut celebritatem missæ alicujus iretur, aut abiretur. Item parricidia omnia sine discrimine ubicunq; & quandocunq; commissa, etiam homicidia, quamvis minore

pœna, quam in loco ſacro aut tempore facta. In ſpecie vero infanticidia (veteres **Bálgmord** vocaverunt) ubi mulier vel infantem non baptizatum necaſſet, aut fœtum abegiſſet. 4. Peccata omnia ſexti præcepti propria erãt fori Eccleſiaſtici, non tantum tempore aut loco ſacro commiſſa, quorum pœna duplo major, ſed et quandocunq; & ubicunq;, quorum cognitionem & punitionem ſibi ſolis ferè Epiſcopi vendicabant, ut in fornicationes, adulteria, inceſtus. Peccata item Sodomitica & bruta: Sodomiam tamen cum maſculis, ut rem hîc prorſus ignotam, ſilentio tranſeũt: Melius fortaſſe quam ſi ſub pœna meminiſſẽt & monſtraſſent. Coitnm cum beſtia relinqvunt in arbitrio poſſeſſoris beſtiæ, ut et ſi velit, deferre & accuſare poſſit, & convicto pœnam mortis remittere, tanquam ſi ipſius tantum intereſſet, nec ultra abuſum alieni animalis peccatum fuiſſet, ſive quod potius crediderim, ne flagitia ejusmodi abominanda diſpaleſcerent, ideo confeſſum & convictum cum beſtia terra obrui præceperunt, ne memoria quidem tam fœdi & nefandi congreſſus extaret, ſecus quam hodiè, ut alibi monſtratur, nullo prorſus judicio & exemplo aliarum gentium. De

condem-

2,2,0, de [illegible]

condemnato quantumvis non confeſſo, pœna ſumpta eſt in pœnitentia & pecunia, quæ ex parte Epiſcopo ceſſit. 5, Furta, quatenus aut rei ſacræ aut in loco ſacro facta eſſent, ad cenſuram fori hujus cadebant, alioquin de illis ut plerumq; capitalibus, Epiſcopus non judicabat. De uſuris tamen, ut ſeptimo præcepto prohibitis, penè ſolus, **Biſcopen är Domare öfwer äcker.** 6. Falſum teſtimoniũ, fori & coërcitionis Epiſcopalis erat, perinde ut ſacramentale perjurium. Jura Eccleſiaſtica tamen favent teſtibus ne puniantur, ſi reus ſe purgatione canonicâ tueri poſſit, & hoc in cauſis tantum, ubi agitur ad pœnam pecuniariam Epiſcopo dandam. Credo quod non de rei veritate, ſed præſumptionibus depoſuerint, E. G. in adulterio: **At the hafwa ſedt tilgång och frångång.** Sed & ſic fruſtranea eſſet de impunitate cautio, ſiquidem nihil ultra quam quod vidiſſent, teſtati eſſent. 7 Præter hæc omnia cognitionem de teſtamentis & legatis ſibi etiam ſolis Epiſcopi reſervabant, cum de ijs parum canones Eccleſiaſtici, nihil prorſus vero jus commune habeat. Atq; hæc de cauſis fori Eccleſiaſtici, ubi obſervatione non eſt indignum, quamvis crimina capitalia ferro

& igne

ro & igne vindicanda, ad forum suum Episcopi traxerint, nunquam tamen sustinuisse capitalem ferre sententiam, sed quoties res ad pecuniariam venit mulctam, ut plerumq; (quod supra dictum) factum est, in partem mulctæ venisse; Deinde nullam prorsus causam fuisse ex quâ non aliqua pecunia legibus imperata ad Episcopum rediret. Est & hoc notandum quod quamvis magna esset authoritas judicij Episcopalis, & penè æqualis Regio, quippe à quo nulla provocatio prodita extat: potuisse tamen Episcopum coram Rege neglecti officij conveniri, accusari & plecti, immo ex jure *Ost-Gothico* patet *judicem provincialem* causas a *Nembda Episcopali* ad se devolutas suscepisse & examinasse, quò magis mirandum est tempore Regis *Christophori* potuisse clericos se prorsus eximere à suprema jurisdictione Regis in Ecclesiasticis, & adhuc magis nostro tempore ausos quosdam contraniti, ne tribunal aliquod superius capitulis constitueretur, nitentes argumentis, quibus *Dyarchia* & duarum jurisdictionum exæquatio inducatur. Fundamentum universalis illius Regni, quod sibi *Pontifices Romani* ex religione inter Respublicas & principes *christianos* ædificarunt, causa perpetuæ discen-

 Conclusio.

dissensionis & motuum, ut fuit, futura, donec ad extremum altera alteram (quod necesse est) aut subalternet aut prorsus confusis sacris & profanis perimat & elidat.

Conclusio.

ATq; hæc de rebus sacris & Ecclesiasticis prodita sunt, quæ sub Papatu in usu fuerunt, quorum magna pars etiam hodiè observatur. In multis minutias consectatus videor, fateor: Sed mihi religio fuit quidquam omittere, quod veteres tam curiosé in singulis legum codicibus sanxerunt. Ac ut de legibus nostris in universũ dicã, certũ est quasdã fuisse, quas Reges subsecutis temporib' tolerarunt magis quam confirmarunt, neq; enim tã facile & in proclivi fuit, vel novas ferre vel veteres abrogare, nisi popul' ad utrũq; intercessisset vel rogasset, eas scilicet leges habituros (quod *Livius* de *Romanis* dixit) *quas consensus omnium non jussisse latas magis quam tulisse videri posset*. Fuit enim hic, quamvis sub Regibus, populi voluntas ac suffragium efficax & potens, ut in cura & emen-

Conclusio.

datione legum selecti ex singulis provinciis, cum in commune consulerent, hoc etiam egerunt ne prisca intercideret libertas, & qvamvis ejusmodi legibus nulla ad obligandum vis sine Regis consensu, nulla tamen Regibus vis ad denegandum consensum. Qvare nihil mirum, si populares videantur, qvædam etiam ridiculæ aut absurdæ. Etiam politissimæ & cultissimæ gentes, qvales olim fuerunt *Ægyptii*, *Græci* & *Romani*, inter multas probas etiam aliqvas habuerunt probe inconcinnas, impias, vanas, qvæ meliorum interventu aut comparatione vel pensantur vel obscurantur. Etiam hoc consideratione non indignum, cum pars *Europæ* septentrionalior è barbarie eluctari cœpisset, qvod factum potissimum circa tempora *Caroli Magni* & seculis proximis post illa, cum primum literas, mox *Christi* religionem accepissent, parem sibi ferè ubiq; hanc *Europæ* partem fuisse in legum cura & similitudine, ut cum qvæq; natio suas eo tempore latas recognoscat, non habeat qvod altera alteri imputet & exprobret. Meum fuit nostras qvalescunq; bona fide referre, professus supra gloriam patriæ, qvæ â nonnullis nulla non ex re unicè & anxiè qværitur, fuisse curam veritatis.



ERRATA.

434

In Dedicatione

pag. penult. lin. 12. pro *capeſcenti* lege *capeſſenti*.

In Indice Capitum lib. II. partis prioris

Cap. VI. pro *Eundorum* lege *Fundorum*.

In ipſo opere

Pag. 6. lin. 5. pro *ſagittarum* leg. *ſagittarium*. ibid. lin. 11. pro *Oſtro* leg. *noſtro*. pag. 8. lin. 3. pro *alqvâ* lege *àliqvâ*. ibid. lin. 13. pro *fuerun* leg. *fuerunt*. pag. 9. lin. 1. pro *ſcribe entur* leg. *ſcriberentur*. pag. 11. in marg. pro *Upſalenſe* leg. *Upſalenſes*. pag. 13. lin. 16. pro *coëtaneæ* leg. *coætaneæ*. pag. 20. lin. 19. pro *ſtaruta* leg. *ſtatuta*. pag. 23. lin 3. pro *magnum* leg. *magnam*. ibid. lin. 16. pro *nimis* leg. *minus*. pag. 24. lin. 17. pro *prædicata* leg. *præjudicata*. pag. 33. lin. 22. pro *Gothico* leg. *Gothico & Svecico*. pag. 43. lin 1. pro *omnes* leg. *pleræq;*. pag. 79. lin. 3. pro *conditlonis* leg. *conditionis*. ibid. lin. 18. pro *VI.* leg. *IV*. pag. 100. lin. 9. pro *nnlla* leg. *nullâ*. cum ſigno ablativi. pag. 110. lin. 16. pro läß leg. läåß. pag. 115. in marg. pro *urarent* leg. *jurarent*. pag. 126. lin. 21. pro *cxilio* leg. *auxilio*. pag. 130. lin. 9. in argumento, pro *Decrctum* leg. *Decrementum*. pag. 141. lin. 8. pro *legitimè* leg. *legitimi*. pag: 54. lin. 8. pro *confeſſum* leg. *conſeſſum*. pag. 169. lin. 1. pro *ut* leg. *in*. pag. 182. lin. ult. pro *Germani* leg. *germani*. pag. 183. lin. 4. pro *Germanis* leg. *germanis*. pag. 190. lin 2. pro *pro nepotibus* leg. *pronepotibus*. pag. 195. lin. 10, deleatur primum *comma*. pag. 198. lin. ult. pro *ut* leg. *&*. pag. 109. lin. 6. pro *Sveones* leg. *Saxones*. pag. 235. lin. primâ deleatnr *non*. ibid. in margine pro *baculum* leg. *baculi*. pag. 238. lin. 11. pro Medhfästa leg. Wädh.

Widhfästa. pag. 242. lin. 22. pro *qvem* leg. *qvam.* pag. 252. lin. 9. pro *qvæ* leg. *qvi.* pag. 253. in margine pro *connuctio* leg. *conductio.* pag. 258. lin. 18. in argumento pro *Aiii* leg. *Alii.* pag. 262. lin. 19. pro *puæcipuè* leg. *præcipuè.* pag. 278. in margine pro *vectiglibus* leg. *vectigalibus.* pag. 280. lin. 15. pro *funsdus* leg. *fundus.* lin. 16. pro *ii* leg. *iis.* pag. 283. lin. 1. pro *præsidis* leg. *præsidi.* pag. 284. lin. 19. pro *debito* leg. *debitus.* ibid. lin. 21. deleatur *eàdem lege.* pag. 292. lin. 11. pro *abetino* leg. *abiètino..* pag. 299. lin. 9. in argumento pro *accipites* leg. *accipitres.* pag. 302. lin. 7. pro *Magni* leg. *Magnus.* pag. 306. lin. ult. pro *fætura* leg. *fæturæ.* pag. 318. lin. 14. post *&* addatur *non.* pag. 320. lin. ult. pro *catenus* leg. *eatenus.* pag. 359. in marg. pro *Homicida* leg. *Homicidia.* ibid. lin. 9. pro *viros* leg. *vicos.* pag. 361. lin. 16. pro αυτοφόρω leg. αυτοφόρω. pag. 380. lin. 11. pro *qvidem* leg. *qvidam.* pag. 384. lin. 13. pro *alteta* leg. *altera.* ibid. lin ult. pro *tamèm* leg. *tamèn.* pag. 389. lin. 7. pro *gentum* leg. *gentium.* ibid. lin. 11. pro *animorum* leg. *animarum.* ibid. lin. 20. pro *animalibus* leg. *animabus.* pag. 301. in marg. pro *pluralia* leg. *pluralitas.* pag. 392. lin. 12. pro τεογονìαμ leg. θεογονίαν. pag. 395. pro *minorugmentium* leg. *minorum gentium.* pag. 299. lin. 14. pro *etiam* leg. *enim.* pag. 402. lin. 14. pro *conaventur* leg. *conveniatur.* pag. 409. lin. 7. pro *sacrorum* leg. *sacrorun.* pag. 420. lin. 7. pro *mænsione* leg. *mansione.*



Ex Codice Juris OstGothici omnia fere verbotenus translata sunt in Codicem Christophorianu, [illegible] q non tantum libro octavo, sed et sparsim nono et decimo continentur.

Perhibet Scriptor Norvegus de jure Upsalensi fu[illegible] olim constitutum, &c. p. 126 circa fi.

Pecunia nomen tantum æri dabat, numi v. argentei erat, postea v. nomen promiscuu factu e: sic et hodie penningom nomen commune, qd olim de solo ære dicebat.

Skiötning, (Sköte) Cur et unde dicat de venditione fundi. 235. Skaft or skötning, ibid.

Ante aut millesimu trecentesimu scripturæ in judiciis in usu fuisse ñ videt. 237.

Um war, um ann, temporis veris (seu aratri,) tempore messis (autumni.)

Wesall, opis aliena indigus, (unde vasallus.) 277.
Feudum e alimonia, ibid. Vasalli fuerint, qbq primitus alimonia p servitio pstito data fuere. ibid. ad vitam.

